

CMLV

DE JEREMIAE TEXTUS HEBRAICI MASORETHICI ET GRAECI ALEXANDRINI DISCREPANTIA

commentationis particula prima.

§. 1.

Praefatio.

Quamquam Veteris Testamenti textum hebraicum post canonem quidem collectum constat per tot saecula tanta cum religione ac literae anxia quadam veneratione a Judaeis esse conservatum, ut codices et inter se mirifice semper consentirent, neque ab eo unquam textu longe recederent, quem antiquissimis temporibus jam tunc omnibus probatum fuisse multis in locis variis ex rebus colligi potest: tamen fuerunt, qui non in paucis tantum locis obscurioribus atque ad intelligendum difficilioribus eum mendoza esse opinarentur, sed etiam persuasum haberent, complures V. T. libros ante canonem collectum prorsus eandem expertos esse sortem, quae communis fuisset librorum veterum, ut longa saeculorum serie partim librariorum erroribus, partim criticorum injuriis varie depravarentur. Qui quum codicum ex auctoritate emendationes ducere non possent, quoniam qui supererant codices omnes et posterioris erant aetatis, et eundem textum exhibebant, qui typis expressus nostris in editionibus legitur: in mutando textu aliis locis rationes criticas eas sunt secuti, quibus ex ipsa locorum indeole de fide textus dijudicare conarentur, — aliis versioni ei antiquissimae, quae LXX virorum vulgo appellatur, et discrepanti illi quidem saepe ac multum a textu hebr. eam habuerunt fidem, qua codicis quodammodo antiquissimi auctoritatem ad versionem deferent.

Inter omnes autem V. T. libros quum imprimis Jeremiae liber is sit, in quo utriusque textus, hebraici dico masorethici et graeci alexandrini, gravissimae sint discrepaniae: fuerunt, qui hujus potissimum libri translationi graecae adeo faverent, ut eam textui hebraico fide atque auctoritate eximie praestare ducent, putarentque duplēcē olim fuisse ejusdem libri recensionem hebr., quarum altera eaque melior ab interprete alex. grecē reddita, altera et illa quidem multis additamentis exornata atque aucta in canonem esset recepta. Qua de re quid statuendum sit ut intelligatur, de Jeremiae textus hebraici mas. et graeci alex. discrepancia hoc loco disputare nobis proposuimus. Atque ita nobis in hac commentationis parte prima agendum videtur, ut primo loco quae de eadem re adhuc existenter controversiae enarreremus, altero quid de generalioribus quibusdam, ut dicunt, rationibus contra duplicitis recensionis opinionem allatis statuendum sit demonstremus, tertio quid ex Jer. c. 52 et lib. 2 Reg. c. 25 sibi respondentibus quidem, varias tamen lectiones multas exhibentibus ad solvendam quaestionem redundet dijudicemus.

Cap. I.

De controversiis e Jeremiae textus hebraici et graeci discrepantia exortis.

§. 2.

Quum statuisse primo loco enarrare, quae de Jeremiae textu controversiae essent excitatae, haud alienum a proposito putavi, pauca praemittere de iis controversiis, quae antea de universi V. T. textu hebr. et gr. fuerunt. Sententiae enim illis temporibus in medium prolatae, tametsi hanc quaestionem quae est de Jeremiae libro non absolvunt, tamen omnibus partibus ad eam pertinent, ut non sint nobis praetermittendae.

Ordiendum igitur nobis est ab illa controversia — ne dicam rixa — cuius prima vestigia apud Justinum Martyrem exstant.¹ Ad id quidem tempus Judaeos hanc versionem, quippe Judaeorum in usum a Judaeis compositam, plurimi aestimavisse, vix est quod moneamus. Quanto enim apud eos in honore fuerit, satis appareat ex iis narrationibus, quae quin fictae eaque a Judaeis factae sint, jam dudum prorsus nemo dubitat. Nam quod initio a Josepho² Philoneque³ memoriae proditum, deinceps est a multis probatum, LXX seniores, Synedrii Hierosolymitani viros, Ptolemaeo Philadelpho jubente Hierosolymis Alexandriam arcessitos legem mosaicam graece reddidisse ita, ut et inter se mirifice consentirent, neque a textu hebr. ullo modo discederent, de hoc quidem et aliis id genus jam pridem viri multi doctissimi ita disputaverunt, ut ad conciliandam versionis auctoritatem a Judaeis ea facta esse atque prolata nunc omnes persuasum habeant. Neque tamen mirationem facere potest, quod Judaei illud factum esse aut fieri potuisse mox ipsi crediderunt, ita ut essent Judaei, qui LXX interpretes divino spiritu inflatos fuisse ducerent. Notum est enim illud Philonis⁴: ἐνθουσιῶντες προεφήτενον, οὐν ἄλλα ἄλλοι, τὰ διατὰ πάντες ὀνόματα καὶ ὄψεις, ᾧ περὶ ὑποβολέως ἔκαστος ἀρχέτων ἐνηγούντος κ. τ. λ. Et in Talmude babyl.⁵ legitur, Deum illos adjuvisse ut in interpretando omnes consentirent.

Quum autem laudes, quibus unus Pentateuchus a Judaeis elatus erat, a Christianis ad omnes versionis libros essent delatae, quumque a Christianis, qui interpretum separatis singulis locis positorum miraculo divinitus facto consensum fuisse mirabilem ac stupendum planeque divinum putabant, ad convincendos Judaeos argumenta e versione alex. tamquam ex ipsa Scriptura Sacra repeterentur: Judaei utroque tandem textu accuratius collato versionem a textu hebr. saepe ac valde discrepare senserunt, coepéruntque negare, alii Septuaginta interpretes bene vertisse, alii versionem eam, qua quidem Christiani uterentur, a Septuaginta illis senioribus esse profectam. Itaque jam pars eorum ad versionem Aquilae verborum hebr. diligentissimi exploratoris, pars ad ipsum textum hebr. recurrebant, donec a Rabbinis cujuslibet versionis usus publicus vetitus est. Christiani autem, quum hebraice nescirent, non solum in sententia omnes fere perseverarunt, sed etiam tanto erant perseverandi studio, ut quidam Judaeos-depravatorum codicum malling insimulare, quam de divina versionis alex. auctoritate quidquam detrahere. Itaque Origenes, etsi versionis alex. codices temporum injuria admodum depravatos ex hebraicis emendandos putavit, tamen in Hexaplorum libro componendo teste Augustino non est ausus, „detrahere quod hebraici (codices) non habebant, et Septuaginta posuerunt, sed tantummodo sub asteriscis addidit, quae in hebraicis inventa apud Septuag. non erant; quae autem non habebant hebraici, habebant autem Septuag., obelis indicavit; quae denique in versione alex. nec praetermissa, neque addita, sed aliter dicta erant, integra reliquit.“ Cavit igitur Origenes, ne Septuag. interpretum laedere videretur auctoritatem. Itaque hoc imprimis operis Hexaplorum consilium designat⁶: ἵνα πρὸς Ἰουδαίους διαλεγόμενοι μὴ προφέωμεν αὐτοῖς τὰ μὴ κείμενα ἐν τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν,

¹ Dial. cum Tryphone p. 169. 70. — ² Antiqu. 12, 2. — ³ De vita Mosis 2, 6 seq. — ⁴ L. c. § 7. — ⁵ Babyl. Megill. f. 9. cf. Frankel Vorstudien etc. p. 25 seq. — ⁶ Epistola ad Africanum p. 16 seq.

καὶ ἵνα συγχρησώμεθα τοῖς φερομένοις παρ' ἐπείνοις, σι καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις οὐ κεῖται βιβλίοις. Nec minus Augustinus ecclesiae auctoritatem secutus est. Qui quum cavendum putaret, ne quid de auctoritate aut textus hebr. aut versionis alex. detraheretur, de utriusque textus discrepancia sic statuendum sibi judicavit: quidquid esset in hebr. codice et non esset apud interpretes Septuag., noluisse ea per istos, sed per illos prophetas Dei spiritum dicere; quidquid vero esset apud Septuag., non esset autem in hebr. codice, per istos ea maluisse quam per illos eundem Spiritum dicere, sic ostendentem utrosque fuisse prophetas. Eos autem locos, ubi variae lectiones invenirentur, bene intellectos inveniri esse concordes. Itaque (de civ. Dei lib. 18 c. 44) demonstrat, Jon. c. 3, 4 per quadraginta dies (hebr.) et per triduum (LXX) eundem ipsum significatum esse Christum: per quadraginta, quia tot dies peregerit cum discipulis suis post resurrectionem et ascenderit in coelum; per triduum, quia die tertio resurrexerit. Habet sententiam Augustini, qui tamen idem aliis in locis librariorum erroribus discrepancias tribuit. Multo aliter Hieronymus, qui in scripturis sacris vertendis ubique ex fonte sibi hauriendum existimavit, nec propter graecae versionis discrepancias de fontis puritate dubitandum censuit. Atque ipsa tandem ecclesia, postquam versionis alex. editio ab Origene instituta ubique legi coepit est, LXX interpretum auctoritate impediri non potuit, quominus, librum Danielis inter ceteros a veritate hebr. discordantem non ex versione alex., sed ex Theodotionis editione legens, aliqua quidem ex parte secundum textum hebr. illam emendaret.

Medio deinde aevo, Hieronymi versione latina ecclesiae usu probata, de versione alex. non fuit controversia. Revocata tamen est a Capello et Morino, quum in ea inventuri essent, quae Buxtorfius de punctuatione, de accentibus, de ceteris generis ejusdem statuerat. Quorum quum interesset, ut de textus mas. auctoritate quam plurimum detraherent, versioni alex. proclivius faciliusque faverunt, quasi ea non ancilla sed domina, fons non rivus esset. Quum enim bene intelligerent, punctuationis originem non ab Esra esse ducendam, Judaeorumque hac in re portentosam fuisse historiae ignorantiam: facile commoti sunt, ut traditionem rabbinicam universam in dubium vocarent. Atque Capellus eo audaciae progressus est, ut viros Masorethas statueret¹ tam mediocrem linguae hebr. habuisse scientiam, ut in texto interpretando subsidiis uterentur non tam majorum institutione, quam Septuaginta interpretum translatione, et praeter eam et paraphrasibus chaldaicis Jonathae et Onkelosi, et versionibus Aquilae Symmachii Theodotionis, adeoque et ipsis Hieronymi. Omnem enim, quae tunc esset in terrarum orbe linguae hebr. cognitio, revocandam esse ad Septuaginta interpretes, qui illis temporibus inter omnes Judaeos literas hebr. excellentissime callivissent. Illorum versione interpretes posteriores omnes nixos esse, sed ita nixos, ut mutationibus novisque lectionibus insertis textus sacri formam eam quae tunc esset ante oculos constituerent. Quo factum esse ut, quo quisque propior fuisse tempori Masoretharum, eo magis cum illis consentiret. Itaque Capellus, quamquam in praefatione „Criticae sacrae“ tres distinguit discrepantiarum causas, quarum unam interpretum errorem lapsum hallucinationem, alteram linguae hebr. genium esse dicit; quamquam in Crit. sacr. V, 2 opinatur, codicem illum hebr. quo LXX usi sint, licet inter omnes emendatissimum, tamen corruptum fuisse; quamquam denique hanc ob causam cavendum existimat, ne textus mas. lectiones temere damnentur: tamen ipse sibi repugnare sibi non videtur, quum in innumeris locis, versionis alex. auctoritate fretus, codicis hebr. lectionem rejicit. Sed eum non satis accurate in versionis indolem inquisivisse, explicatis iis quae supra proposuimus vix est quod moneamus.

Injuriam etiam maiorem textui hebr. fecit Morinus. Qui quum demonstrare sibi proposuisset, „Bibliorum autographa, quae Protestantes solam religionis normam haberent, partim periisse, partim quae superessent erroribus scatere“²: ad confirmandam versionum et alex. et vulgat. divinam integritatem non

¹ Crit. sacr. 4, 17. — ² cf. Rich. Simon hisa. crit. 3, 18.

sufficere putavit, Judaeorum, ut ait, portentosam textus historiae aperire ignorantiam, Talmudis utriusque aliorumque librorum quos jactabant antiquissimos examinare aetatem, accentuum et versuum et punctorum illustrare originem. Refricuit enim profecto suspicionem depravatae a Judaeis Scripturae: tantum erat studium operam ecclesiae utilem navandi. In propugnanda autem versionis alex. auctoritate patribus ecclesiasticis nititur, qui excepto uno Hieronymo omnes, quotquot fuerint, LXX interpretum versionem „sanctam, propheticam, canonicam, divinam atque omni ex parte θεόπνευστον“ crediderint¹. Morini vestigia persecutus est Is. Vossius², praecipuus LXX interpp. patronus, qui non solum quae de origine versionis facta erant summa cum fiducia defendit, sed etiam hanc unam versionem sinceram et ἀναμάρτητον esse contendit, Judaeos vero corruptorum codicum insimulavit. Multi praeterea, alias alio modo, ut auctoritatem LXX interpretum vindicarent operam dederunt, quorum longum est sententias explicare. Praetermitti tamen non potest, quod in versionis indolem nemo, ne Hodius quidem, qui fabulas illas de versionis origine factas et eo usque plurimis probatas funditus evertit³, accuratius inquisivit.

Sed non deerant, qui textus masor. vindicias scribebant, quo ex numero imprimis Joh. Buxtorfius fil.⁴, Bootius⁵, Math. Wasmuth⁶, Val. E. Loescher⁷, J. G. Carpzov⁸, Sal. Glassius⁹ commemorandi sunt. Illi ad fidem textus mas. confirmandam ad codices hebr. provocantes, qui jam tunc mirifice inter se consenserunt, concedunt quidem codices non ad extremum usque apicem emendatos esse: id enim neque esse, nec fuisse, immo neque esse posse intellexerunt. Sed iidem, quoniam mutatio in omnes codices simul irrumpere non potuerit, codicum antiquissimorum varias lectiones negant propter vers. alex. discrepantium ibi inveniri debere, ubi hebraici codices omnes consentiant. Itaque quae non ex codicu[m] hebr. collatione eruantur variae lectiones hebr., plane incertas esse dicunt. Quo argumento freti, quid statuendum sit, si quis interpretum quid aliter transtulerit, dijudicant. Carpzovius, si in communi quadam lectione omnes codices conspirent, vel in versionis cuiusdam, vel in commodioris interpretationis gratiam, vel etiam ob diversam allegationem, sive biblicam sive ecclesiasticam, quidquam mutetur negat licere. Et Buxtorfius, minime certum existimans, si quis interpretum quid aliter transtulerit, atque hodiernus codex hebr. referat, talem lectionem eum in exemplari suo invenisse, qualem exprimat, septem argumentis probat veterum interpretum translationes a textu hebr. minime ob cam causam disrepare, quod illi in codicibus suis ita legerint. Primo enim sensum eos saepe reddidisse, ad verba non attendentes; secundo nimiam illos licentiam aliquando sibi sumpsisse; tertio et quarto eos non eximendos esse et ab imperitia quadam, et a negligentia oscitantiaque; quinto etiam quasdam esse versiones, quas constet non jam esse tales, quales a primis auctoribus editae fuerint; sexto scribarum audacia, licentia, imperitia multa e margine vel addita, vel priore lectione expuncta substituta esse; septimo etiam discrimen inter interpretes observandum esse, praesertim ratione temporis et aetatis habita.

Quibus de rebus quum diu acriter pugnatum esset, eo certamine effectum est, ut de textu et mas. et alex. judicium et liberius fieret et cautius. Itaque de nonnullis rebus diligenter exploratis tandem aliquando omnes fere consenserunt, ut hisce temporibus nemo divinam versionis alex. auctoritatem confirmare contendat, neque quisquam probare audeat, interpretum errorem lapsum hallucinationem in eam nusquam irrupisse. Pariter omnes consentiunt, neque viros Masorethas jam inde ab Esrae temporibus floruisse, ut Buxtorf, Leusden, Loescher, Carpzov statuerant, nec vocalium accentuumque divinam esse originem, ut Helvetii in „formula consensus“ posuerunt. Praeterea quis est inter viros doctos, cui perspicuum non sit,

— ¹ Cf. praef. in LXX interpp. editionem. — ² De LXX interpp. — ³ Cf. de LXX interpp. diss. et de Bibl. textt. origg. — ⁴ Anticritica sive vindiciae veritatis hebr. — ⁵ Vindiciae sive apodixis apolog. pro hebr. verit. — ⁶ Vindiciae S. hebr. Scripturae. — ⁷ De causis linguae hebr. — ⁸ Critica sacra. — ⁹ Philol. sacr.

Judeos literae quodammodo mordicus tenaces fuisse eaque re effecisse, ut textus hebr. in universum bene conservaretur?

Neque eo secius controversiae, quae erant de textu mas. et alex., recentioribus temporibus non omnino sunt dirematae. Fuerunt enim, qui interpretum alex. vel errores vel hallucinationes negarent in omnibus V. T. libris discrepantiae esse causam: eorum alii librum Danielis e codice quodam chaldaico a masorethico multis in locis discrepante versum esse putaverunt, alii librum Pentateuchi alexandrinum, ceterum eleganter quidem ac polite scriptum, discordantem tamen saepenumero a textu mas. et plus quam mille locis congruentem cum samaritana Pentateuchi editione vel e samaritano textu versum esse dixerunt, vel una cum samaritano Pentateucho e codice quodam hebr. antiquiore, et eo quidem a textu masorethico dissono, tamquam ex communi fonte manavisse contenderunt. Quos contra Gesenius luculenter demonstrat, plurimas recensionis alexandrinae samaritanaeque lectiones a textu mas. dissonas partim esse *commutationes*, quibus modo grammaticae satisfiat, modo locus in sensum faciliorem flectetur, modo interpretatio quaedam supponatur sive ex traditione accepta sive ad theologica dogmata conformata, partim esse *glossemata* e margine recepta, partim additamenta e locis congruentibus assumpta. Quid autem de Jeremiae libro disputatum sit, jam uberioris nobis est explicandum.

§. 3.

Duplicem libri Jer. recensionem qui statuerunt, duas hac conjectura quaestiones studuerunt solvere, unam de diverso oraculorum ordine, alteram de utriusque textus discrepantiis. Atque omnes, quamquam quae necessitudo esset inter utramque recensionem alias alio modo definivit, consenserunt tamen in eo, quod textum mas. antiquissimam libri Jer. recensionem non puram, sed additamentis auctam exhibere censuerunt.

Qua de re, ut omittam J. D. Michaelem, qui primus et brevissime eam attigit, uberioris disseruit Eichhornius¹. Qui prophetam quum non ante quartum regis Jojakimi annum oracula inde a Josiae temporibus edita literis mandavisse putaret, ex memoria, id quod fundamentum est sententiae, oracula, quo ordine reminiscendo recognovisset, Barucho dictavisse contendit. Quo factum esse, ut non eodem ordine scriberentur, quo initio essent edita. His autem conscriptionibus per Jojakimum in ignem abjectis quum eadem oracula quinto Jojakimi anno per Baruchum essent conscripta, additis pluribus quae propheta interea in memoriam sibi redegisset: non uni volumini sed pluribus foliis modo majoribus modo minoribus ea esse mandata, neque aliter scripta esse reliqua oracula usque ad Hierosolymorum excidium edita. Quo facto, quum Hierosolymis expugnatis cives in exsilium abituri fuissent, prophetam, ut eis esset oraculorum exemplar, schedas in unum volumen transscribendas curavisse, misisseque ex Aegypto, quo se post urbis excidium contulit, aut ea tantum oracula quae in Aegypto locutus esset, aut totum volumen. Utu fuisset, schedas primo scriptas esse, ut forte in manus incidissent, deinde vero eodem ordine, quo transcriptae fuissent, a propheta esse servatas. Fuisse igitur eo tempore integra vaticiniorum exemplaria duo, eaque consona, quorum alterum volumen Babylonem missum, alterum schedas in Aegypto servatas exhibuisset. Neque ita multo post prophetam ex schedis omnia oracula iterum transscribenda curasse, servato quideam priore oraculorum ordine, adjectis tamen multis additamentis. Hanc novam editionem, ut primum orta esset vel non multo post, in Palaestinam pervenisse posteaque in canonem esse receptam. Defuncto autem propheta easdem schedas, ex quibus priores editiones, et babylonica et palaestinensis, essent ortae, tertio unum in volumen transcriptas esse, ordine tantum paullulum mutato. Quum enim quae in textu hebr. cap. 25, 1 — 13 legerentur introductio visa essent oraculorum contra gentes, ea oracula positae esse inter capitum 25. versus 13 et 15, deleto v. 14 ordineque mutato, in quem ipsa haec oracula initio adducta fuissent: nam ita in

¹ Einleitung III. p. 161 — 207.

vers. alex. oracula contra gentes disposita sunt. Quam editionem inter Judaeos aegyptios vulgatam postero tempore ab iis grecce redditam esse: exemplaris enim amplificati eos ne notitiam quidem habuisse. Itaque editionem aegyptiam Eichhornius, quippe quae, tametsi mutatus esset oraculorum ordo, tamen textum principem exhibuisset, editionem principem appellandam esse censuit: nam babylonicam quidem post redditum Judaeorum periisse.

Jam vero ut Eichhornii sententia explicata eos commemorem qui contra eum scripserunt, maxime ab eo dissensit Spohnius¹. Qui omnis discrepantiae culpam in interpretem alex. contulit, atque omnia ab eo omissa esse statuit, quae antea jam dicta essent. At, quum eos locos, qui in Jer. libro repetiti sunt, minime omnes omissos esse, alios autem, qui in text. hebr. bis non leguntur, in vers. alex. vel deesse, vel alter translatos esse appareret: fuerunt, qui Eichhornii sententiam a Spohnio minime refutatam esse censerent². Eodem tempore Jahn³, etsi duplicis recensionis sententiam non omnino rejecit, tamen in eo ab Eichhornio dissensit, quod negavit, duplē editionem ab ipso propheta esse institutam. Scribendi enim alacritatem in propheta nullam fuisse ex eo posse colligi, quod, ut omnia vaticinia in librum conscriberentur, Barucho mandavisset. Si igitur duplicis recensionis opinio retinenda esset, probabilius videri, inde a morte prophetae usque ad populi redditum casu magis quam consilio duplē recensionem paulatim esse ortam. Ceterum nulla unquam conjectura diversum oraculorum ordinem illustrari posse: casu enim eum ortum esse. Nec vero dubitat, quin plurima, quae in vers. alex. desint, ab interprete omissa sint, quippe qui modo quae nullius momenti duxerit⁴, modo quae antea jam scripta sint⁵, non transferenda esse existimaverit. Itaque duplicis recensionis opinionem probari non posse.

Item Bertholdtus⁶ contra Eichhornium scripsit. Qui sic disputavit. Primum quum c. 36, 18 vertendum esset: „und er las mir wörtlich vor,“ quumque vix credi posset, prophetam post viginti annos etiam tunc ex memoria oracula dictare potuisse: errare Eichhornium, quod ex memoria dictata esse oracula persuasum haberet. Legisse enim Jeremiam quae ipse sua manu jam scripsisset, eaque dictavisse, quod literas male pinxit aut laborem iterum describendi suspicere noluisset. Itaque, quum ex memoria non dictavisset, reflecti omnia ab Eichhornio de oraculorum ordine dicta. Porro, quum c. 36, 4 legeretur „in volumen libri,“ errare Eichhornium, quod singulis schedis diceret oracula dictata a Barucho mandata esse. Praeterea, quum ex Eichhornii sententia propheta initio schedas transscribendas curavisset, sicut forte in manus incidissent, omnino non intelligi, cur ille, quum schedae facillime ad certam legem adstringi potuissent, eundem semper schedarum ordinem servasset. Denique ex Eichhornii sententia sequi, Jeremiam ea quae post quintum Jojakimi annum locutus esset litteris non consignasse, nisi postquam in Aegyptum venisset. Nam id si prius fecisset, futurum fuisse ut oracula post quintum Jojakimi annum edita eodem ordine schedis prioribus insererentur, quo edita fuissent; quod factum non esse ipso oraculorum sensu posse judicari. Neque esse credibile, si in Aegypto propheta retractavisset oracula, hanc novam editionem in eorum qui in Aegypto fuissent civium notitiam non venisse. Habes Bertholdti rationes contra Eichhornium allatas. Spohnii autem pariter atque Jahnii sententiam B. rejiciendam putavit, quoniam omnes fere discrepancies interpreti tribuissent. Quo modo autem fieri potuisset, ut idem interpres modo anxie ad verbum transferret, modo omitteret non solum quae omitti potuissent, sed etiam, atque id saepissime, quae deesse nullo modo possent, id quidem probabiliter neque ab illis expositum esse, neque unquam posse exponi. Quam ob causam Bertholdtus, si quis sententiam omni parte absolutam atque perfectam hac de re dicere velit, ei demonstrandum esse judicat, quo modo fa-

¹ Jerem. vates etc. — ² Cf. Bertholdt Einleitung IV. — ³ Einleitung II. p. 567—69. — ⁴ Jahnus notat hos locos: c. 2, 1; 7, 1. 2; 25, 1; 29, 13—21; 35, 17—19; 46, 1; 47, 1; 49, 34. — ⁵ Cf. c. 8, 10—12 cum 6, 13—15; — 16, 14, 15 cum 23, 7. 8; — 17, 3. 4 cum 15, 13. 14 et alia. * Einleitung IV. p. 1449 seq.

ctum sit, ut, quum antiquissimis temporibus duo vaticiniorum Jer. libri ederentur, et textus gr. prodiret brevior, et oracula contra gentes ita disposerentur, ut non solum in textu hebr., sed etiam in textu gr. omnes se exciperent serie quidem continua, vario tamen loco et diverso ordine invenirentur. Ut igitur talem ipse proponat sententiam, qualem desideraverit, sic statuit, librum Jeremiae collectum esse e tribus libris non-nullisque schedis. Atque primum librum habuisse capp. 1—24 (cod. A); alterum capp. 46—51 (graec. c. 25, 4—c. 32) sive oracula gentes; hunc autem librum transcriptum esse, oraculorum ordine non servato (cod. B₁. et cod. B₂.); tertium librum habuisse capp. 26—40, eumque item transcriptum esse, additis capitis 33. versibus 14—19 et c. 29. verss. 4—13 (cod. C₁. et cod. C₂.). Schedarum primam habuisse c. 25, 15—38, gr. c. 32. (cod. D.); alteram c. 25, 1—13 (cod. E.)¹; tertiam c. 25, 1—13 et 14—38 (cod. F.)². Quos codices et in Palaestina et in Aegypto collectos esse dicit, et ita quidem, ut in Palaestina composita sint codd. A. F. C₂. B₁, in Aegypto codd. A. E. B₂. D. C₁. Editionem palaestinensem in canonem postea receptam fuisse integrum; nihil in ea mutatum esse, nisi quod c. 25, 13 vocibus „in libro“ vox „hoc“ sit addita; aegyptiam vero graece postea translatam collectam esse a viro, qui alia omittere, alia contrahere sibi sumperit quidem, sed quum offensus verbosa Jeremiae oratione superflua resecare sibi proposuerit, ne diligenter quidem nec juvante fortuna propositum sit persecutus: alia enim, quae ex proposito omnino fuerint, omissa non esse; alia, quae salvo sensu resecari nullo modo potuerint, esse resecata. Rarissime profecto apte cum resecuisse, ut c. 25., ubi versum 14. et quae versu 13. post „contra eam“ legantur jure omiserit neque inepite vocem „hoc“ addiderit. Restat ut caput 52. commemoremus ex Bertholdi sententia esse e libri 2 Regum c. 24, 18—20 et cap. 25. transcriptum et ante canonis editionem codici palaestinensi additum. In aegyptio autem codice caput 52. nunquam esse lectum, ob eamque causam versionem quoque alex. initio unum et quinquaginta tantum habuisse capita, ut, qui tunc c. 52. translatus et ad versionem alex. adjuncturus fuerit, utendum ei fuerit codice palaestinensi.

Bertholdi sententiam artificiosorem esse, quam quae probari posset, de Wettius judicavit et paucis argumentis comprobavit. Imprimis capitis 25. versus 1—14 a versibus 15—38 disjungi non posse. Capita vero 26—45 separatim a ceteris unum in volumen collecta esse, non esse credibile, praesertim quum c. 26 inscriptum non esset. Denique concedi non posse, c. 52. posteriore tempore e palaestinensi codice translatum versioni esse adjectum, quoniam hujus ipsius capituli textus gr. a textu hebr. ad modum discreparet. Itaque de Wettius in prioribus libri introductionis in V. T. editionibus omnes discrepantias interpreti tribuendas esse duxit, in recentioribus tamen editionibus Moversium secutus est, qui, quum „de utriusque recensionis vaticiniorum Jer., Graecae Alex. et Hebraicae Masor. „indole et originē“ commentationem scriberet, novam expositionis viam ingressus est. Eichhornius enim et Bertholdus, ut duplicitis recensionis conjecturam probarent, imprimis a diverso oraculorum ordine argumenta repetierunt, ceteras utriusque textus discrepantias obiter tangentes: Moversius, oraculorum ordinis interim ratione non habita, utroque textu accuratissime collato studuit primum e ceteris discrepantiis evidenter demonstrare, fuisse duplum vatic. Jer. recensionem, deinde quae esset utriusque recensionis indoles illustrare, tum denique, et qual aetate editiones vatic. Jer. antiquiores essent compositae quibusque ab auctoribus emissae, et quae esset utriusque textus cognatio atque origo disputare.

§. 4.

Jam vero Moversii sententia uberius est explicanda. Prima enim commentationis parte Jer. textum

¹ Quae v. 13. post verba „quae locutus sum contra eam“ legantur, Cyri tempore Babylone expugnata a viro aliquo, qui cod. B. 1 possederit, addita esse, excepto uno verbo „hoc“ quippe etiam posteriorem aetatem redolente. Postea etiam versum 14. additum esse. — ² Qui c. 25, 1—13 cum v. 14—38 coniunxerit, eum versui 15. addidisse vocem „nam“.

graecum masorethico antiquorem esse atque praestantiorum confirmat ex fragmentis quibusdam antiquioris breviorisque textus, quae sibi videtur detexisse. Demonstrat autem primum, in capite 25. lib. 2 Reg., quod paullulum mutatum apud Jer. c. 52; 40, 8. 9; 41, 1. 2 legatur, reliquias quidem deprehendi textus cuiusdam antiquioris ab interprete alex. exhibiti, quoniam viginti fere locis textus hebr. c. 25. lib. 2 Reg. consentiat cum textu gr. c. 52. Jer., discrepante illo a textu hebr. Idem de Baruchi libri judicandum esse duobus locis e Jeremia desumptis. In quibus quum textus libri Bar. contra textum mas. Jer. consentiat cum vers. alex., quumque, id quod alio loco a se demonstratum sit, libri Bar. auctor hebraice scripsit: concludendum esse, non versione alex. eum esse usum, sed hebraico illo textu antiquiore, quem et ipse interpres alex. repetierit. Denique apud Josephum quoque recensionis hebr. a LXX. exhibitae certum inveniri vestigium. Nam quum Josephus hebraico Jer. exemplari ubique sit usus, verisimile non esse, eum relicto exemplari hebr. versionem esse secutum uno illo loco, quo consentiens cum LXX. non tria illa synonyma in Jer. textu hebr. usitata componat, bellum famem peste, sed scribat λύπης καὶ φθορὰ λοιμική vel ἡ λύπη ἡ σιδηρώ. (§§. 2 et 3.) Quibus argumentis quum id quidem probatum esse persuassimum habeat, esse in Jer. textu hebr. quaedam additamenta, interpretem alex. vero usum esse editione quadam antiquiore, reliqua quoque, quae in textu gr. non legantur et cum additamentis in c. 25 lib. 2 Reg. non obviis „familiaritatem quandam pae se ferant“, in additamentorum numero habenda esse concludit, ni forte obstent rationes ex indeole locorum desumptae (§. 4.)

Quam sententiam quo facilius in altera commentationis parte comprobet atque confirmet, non inscite demonstrat primo loco (§. 5), item in versione alex. deprehendi additamenta, sumpta ex eodem modo capite modo versu modo aliis e locis, velut c. 1, 17, (cf. v. 18. 19); 28, 10 (cf. v. 1. 5. 11); 47, 12 (cf. v. 10); altero loco (§. 6), phrases vel voces ex aliis locis sumptas variis in locis utriusque recensionis ad exornandam orationem esse adscriptas; tertio denique loco (§§. 7 et 8), additamentorum genera ea, quae in versione sint obvia, in textu hebr. inveniri multo frequentiora. Atque ex his quidem cerni utriusque textus cognitionem quandam concludit. Quum enim non sit credibile, interpretem ad verbum transferre consuetum alia omisisse, alia addidisse: quae modo addita modo remota videantur, ea tribuenda esse interpretis non arbitrio, sed codici hebr. tanta mendorum multitudine nondum contaminato. Quod quo facilius probetur, Moversius (§. 9) locos longiores, qui in textu gr. desiderentur, hos notat: c. 39, 4—13; 8, 10—12; 11, 7. 8; 17, 1—5; 30, 10. 11; 48, 45. 46, quos aliunde in textum mas. assumtos esse rationibus ex ipsa re petitis confirmare studet. Qui autem in utroque textu bis legantur loci, ut c. 50, 39—46; 10, 12—16; 48, 3—6. 29—38. 40. 43. 44. 47, ne eos quidem Moversius a propheta repetitos putat. Namque in versione editionis additamentis jam instructae vestigia subesse (§. 10), eumque qui recensionem ab interprete alex. postea translatam composuerit varia exemplaria adhibuisse contendit (§. 20).

Jam vero aliud additamentorum genus, rarius in textu gr., in mas. saepissime obvium, in iis locis reperiri demonstrat (§§. 11. 12. 13.), quibus, quae in altero textu desint, in altero non aliis ex locis transcripta, sed ad exornandam amplificandamque orationem ab interpolatore aliquo addita sint. Quorum nonnulla quidem concedit casu aliquo vel vitio codicis hebr. quo interpr. alex. usus sit in transferendo omissa esse posse, generatim vero, quum et propter mas. recensionis indeolem eo usque illustratam ejusmodi menda exspectanda sint, et pleraque additamenta ea sint indeole, ex qua consilio ea inserta esse appareat, simpli- ciorem lectionem praefert artificiosiori. Nam qui vaticiniis Jer. retractandis operam dederit, eum verba sive eadem sive synonyma conjungere solere. Itaque vel duobus verbis sensu conjunctis tertium additum esse, velut: templum Jehovah, templum Jehovah, *templum Jehovah* c. 7, 4 — o terra, terra, *terra* cap. 22, 29 — peste, gladio, *fame* c. 21, 7 — non parcer eis, *neque clementia utetur, * neque mise-

rebitur, eod. loc. — cf. c. 23, 4 all. — vel uni verbo alterum esse adjectum: *deserta *et vacua** (scil. terra) c. 4, 23 — ecce ego reducam captivam turbam *tentiorum* Jacobi et tabernaculorum ejus miserebor, c. 30, 18. — est Dei verbum *in corde meo* sicut ignis ardens, occlusus in ossibus meis, c. 20, 9. cf. c. 35, 7 all. — Porro vocabula, quibus illustrentur vel explicentur modo verba modo res saepissime in textu hebr., in graeco nusquam vel saltem rarissime praeter necessitatem esse addita; velut modo pronomen personale: et dices *eis*, c. 43, 10; cf. 35, 5; 1. 17 — quod respondebit *vobis* Jehova, c. 42, 4 — in hoc glorietur qui gloriatur, se intelligere et cognoscere *me*, me esse Jehovah, c. 9, 24; all. — modo pronomen demonstrativum: *haec* domus c. 7, 10 — *hi* prophetae; all. — modo pr. relativum, addito verbo finito: si convertatur gens illa a malo suo, *contra quam locutus fuero*, c. 18, 8; all. Frequentius verbum quoddam e contextu supplendum adscriptum esse: clamorem 48, 4 — domus c. 12, 14 — urbes c. 26, 2; all. Imprimis autem capp. 40. et 41. referta esse additamentis praeter necessitatem insertis. Porro aliquoties verba obscura glossemate addito explicari: pudore affectus est Bel, fractus est Merodach, *pudore affecta sunt simulacula ejus, fracta idola ejus*, c. 50, 2. — cf. principes Judaeorum, c. 29, 2 — Philistaei, Caphthor, c. 47, 4; al. —

Rerum autem illustrationes in textu hebr. inveniri modo in inscriptionibus quibusdam, quae in LXX aut desint (cf. c. 46, 1; 47, 1; 49, 34; 14, 1: quod fuit verbum Jehovah ad Jeremiam prophetam seq.) aut aliter legantur (cf. 46, 13; 50, 1;) — modo iis in additamentis, quibus quae posteriori tantum lectori, non ejusdem aetatis hominibus obscura esse potuerint illustrentur, velut iis in locis, ubi Nebucadnezar in textu hebr. inducatur nomine cognomini „rex Babyloniae“ adjecto, in versione autem temporibus aptius appelletur vel rex Babyloniae, vel Nebukadnazar. Item c. 25, 1 verba „qui annus est primus Nebukadnezaris, regis Babyloniae,“ eo tempore addita esse putat, quo antiquior annorum computatio quae fuerit inde ab initio imperii regis Judaici jam obsoleta, et recentior ex annis regis Babylonici usitata fuerit. Capitis autem 27. versum 7. ex eventu historico additum esse contendit; pariter c. 25, 9. 11. 12 nomen regis Babylonici. Capite 25, 26 vocem שׁ inanem et severo propheta indignam vocabuli בְּבָל esse perversionem. Sed haec hactenus. Alia id genus praetermittere nobis lubet.

Restat ut explicetur, quid de variis utriusque codicis lectionibus statuat Moversius (§. 14.). Nam modo in alex., modo in mas. textu censem singula verba ex similibus locis commutata esse; velut in LXX: c. 22, 5 ποιήσῃς i. e. שׁ cf. v. 4, hebr. חַשְׁמַע i. e. audiatis; — 23, 11 εἰδον, i. e. רָאשָׂה cf. v. 13. 14, hebr. מִצְאֵת i. e. inveni; (cf. 34, 2; 40, 5; 51, 43; 15, 10; 14, 13; 32, 36; 48, 5). — Ejusmodi verborum commutations haud rarius in textu masorethico deprehendi, velut: c. 22, 2 עֲבָדֵךְ וְעַמְקֵךְ i. e. servi tui et populus tuus cf. v. 4; c. 21, 7, LXX: ὁ οἰκός σου καὶ ὁ λαός σου, i. e. שָׁבֵת אֶחָדָשָׁה שְׁמָךְ i. e. ut oblivious nominis mei, cf. quae deinde sequuntur שָׁבֵת לְהַשְׁכִּיחַ שְׁמָךְ, LXX: τοῦ ἐπιλαθέσθαι τοῦ νόμου μου i. e. לְהַשְׁכִּיחַ תְּרוּמִי — (his locis adde: c. 16, 15; 4, 29; 36, 31; 7, 18 all.). Pariter verba quaedam, quae difficultate aliqua laborent, intellectu facilitioribus permutata esse, velut: c. 6, 20 קָנָה הַטָּוב i. e. calamus bonus; quibus vocibus illustrari vocem קָנָה quam interpres in suo codice legerit, quem verterit καράμων — c. 2, 18 שְׁחִר pro antiquiore Nili nomine נִיר quod in LXX. legatur Γηών; — c. 51, 14 בְּנֵפֶשׁ i. e. περ animum suum (sc. jurat) pro בְּרֹעֶז i. e. κατὰ τοῦ βραχίονος (LXX) — c. 10, 13 et 51, 16 רָוח i. e. ventus, pro אַר i. e. φῶς (LXX); — c. 43, 13 בְּאַרְץ מִצְרָיִם i. e. in terra Aegypti, pro בְּאַרְץ i. e. ἡ Αἴγυπτος (LXX).

Postremo M. eos proponit locos (§. 15.), „qui“, ut ait, „verborum praecedentium aut subsequentium variam lectionem continent et vel facta textus hebr. recensione ex aliis exemplaribus aut e margine recepti vel errore librariorum vitiose sunt repetiti.“ Quorum exempla afferamus haec. Interpretem alex. dicit in

suo codice legisse vitiose repetitum c. 21, 12 [והצלחתו הצליל] ob eamque causam vertisse: [זאת זאת ורשות] נאָהָרְאַת אֶלְעָשָׂה — c. 2, 23. eum verba אֲרוֹד קְדֻשָּׁ יִשְׂרָאֵל reperisse his scripta et commutasse tantum vocem אַחֲרֵי vocibus וְאַתָּה i. e. λέγει καί οὐκος. Frequentius nonnulla apud Alex. ob διουστέλεντα omissa esse, velut verba, quae capite secundo in textu hebr. legantur inde a voce לְאַמְרָר (v. 1.) usque ad vocem לְאַמְרָר (v. 2.), eodemque modo factum esse, ut omissa sint quae in LXX in his locis desint: c. 27, 12 — 14; 29, 11; 31, 40; 44, 29; 51, 21; 52, 15. 16; 30, 14. 15. — Item in mas. textu multis in locis, quae in vers. alex. non legantur, partim vitiosa repetitione (velut in locis his: c. 2, 17; 3, 9; 23, 10; 4, 12; 24, 9; 48, 5. 32.) partim ex depravata lectione marginali orta esse (velut in his: c. 49, 19. 20; 10, 25; 5, 1; 39, 17. 18; 11, 13; 44, 3; 7, 24). Atque ut pauca exempla afferam, capite 51. putat omnia quae in textu hebr. inde a versus 44. verbis גַּם חֹמֶת כִּכְלָה usque ad v. 48. legantur, desiderentur autem in versione, ex alio exemplari esse addita, quoniam exceptis variis lectionibus eadem paene verba vv. 49—53 iterum scripta inveniantur; capite autem 41, 9 in verbis בָּרוּ גְּלִירָן הָאָה (nam pro בָּרוּ conjicit legendum esse בָּיר), quae omnino intelligi nequeant, falso repetitas esse תֵּי literas, ut legendum sit cum Alexandrino: φρέση μέγα τοῦτό εστιν i. e. הָאָה.

Sententia Moversii de utriusque recensionis indole atque auctoritate explicata a proposito non alienum videtur, paucis enarrare quae tertia commentationis parte de utriusque recensionis origine atque cognatione exposita sunt.

Explicat autem M., initio sex vaticiniorum Jer. fuisse libros. Unum exhibuisse oracula a Barucho Jojakimo rege edita partimque ad Judaeos spectantia (capp. 1—20 [exceptis vv. 1—16 capit. 10.], capp. 26. 35. 36. 45.), partim ad gentes pertinentia (c. 25, 1—13. 15—38; capp. 46—49). Alterum librum exhibuisse oracula de urbis regnique restitutione emissा (capp. 30. 31. 33.; dicit ex capit. 30. versu 2. apparere ea oracula unum tantum librum atque separatum a ceteris fuisse); tertium librum continuuisse oracula de Babylonis excidio edita (capp. 50. 51.; cf. 51, 60), quartum oracula initio imperii Zedekiae conscripta (capp. 22—24), quintum rerum populi judaici perscriptiones orationesque et ante et post urbis excidium habitas (capp. 21. 34. 37. 32. 38—44), sextum oracula ea quae capp. 27—29 legantur. Quos libros qui unum in volumen collegerit, eum editioni a Barucho curatae, quippe quae omnium maxima fuerit, ceteros libros inseruisse et ita inseruisse, ut in hac quoque editione et caput 45. ad extrema oracula, quae quidem ad populum Israeliticum spectaverint, remissum sit, et vatic. contra gentes addito libro tertio (capp. 50. 51.) in extremo volumine sint posita, reliqua vero oracula non habita ratione temporis quo enuntiata fuerint, sed ex similitudine quadam Baruchi libro inserta. Hanc omnium vaticiniorum editionem antiquissimam demonstrat Zachariae quidem temporibus nondum emissam fuisse. Quum enim, quae Zach. c. 8, 7. 8 legantur et totidem paene verbis Jer. c. 31. versibus imprimis 7. 8. 33. inveniantur, a Zacharia v. 9. non ut Jeremiae verba citentur, sed ut prophetarum eorum, quos Israel audirebit „quum templi fundamenta jaeta sint“: concludi posse, Zachariam quidem non modo in sua vaticiniorum Jer. editione caput 31. et quae cum eo arcte cohaereant capp. 30 et 31. non legisse, sed etiam capit. 31. versus 7. 8. 31. pro vaticinio habuisse post exsiliū edito.

Complures autem oraculorum collectores contendit discernendos esse. Quum enim, ut §. 2 demonstraverit, Jer. c. 52. transcriptum sit e lib. 2 Reg. c. 25.; quum porro Jer. capit. 39. versus 4—13 additi sint e capite 52., et eo quidem jam locupletato additamentis et in LXX et in 2 Reg. c. 25. nondum obviis (cf. §. 9.); quum denique credendum non sit, qui caput 52. additamentis instruxerit, ipsum c. 39. vv. 4—13 transcripsisse, quoniam eadem semper verba utroque loco sint recepta: ex iis effici priorem collectorem caput 25. lib. Reg. vaticiniis Jer. adjecisse collectorisque tantum munere functum esse, nec quidquam nisi inscriptiones addidisse. Quod paullo post Judaeorum redditum ex Babylonia ab eodem factum esse, qui tunc

libros Reg. ita emiserit, ut Jeremiae et vaticinia et fragmenta libri inscripti סְפַר הַמִּלְכִים (scilicet libros Regum intelligit Mov.) et Threnos uno colligeret volumine. Quum autem postea Regum libri olim inter vaticinia et Threnos inserti ab his sejuncti sint, ultimum caput, quod a vaticiniis ad Threnos transitum facere visum sit, suo loco relictum esse. Ceterum hoc volumen nondum complexum esse libellos hosce, primum capp. 30, 31, 33, quae ne Zachariae quidem temporibus Jer. vaticiniis adjecta fuerint; alterum capp. 27—29, quibus multa contineantur, quae posteriorem aetatem redoleant. Alterum autem collectorem concludit locum c. 39, 4—13 e capite 52. transscripsisse additamentis jam instructo. Ejusmodi autem additamenta paulatim per longiora tempora diligenter oraculorum lectione in toto Jer. libro orta esse jam inde ab ejus editione priore, donec canoni sit insertus, textumque tali modo auctum textum τῆς ζωῆς esse appellandum. Itaque, quando extrema manum huic libro imposuerit is qui locum c. 39, 4—13 adjecerit, hanc quaestionem cohaerere cum ea, qua aetate vaticinia Jer. canoni sint adscripta. Quod utrumque a Nehemia factum esse. Verum tamen eum primum inter omnes vaticinia omnia non tam edidisse, quam recensuisse sive recognovisse, exhibitis collatisque aliis exemplaribus vetustioribus: qua in re eum id vidisse, ut additamenta, quae in ea editione quam potissimum sit secutus vitio deesse visa sint, aliis e libris suae editioni adscriberet. Qui autem recensionem alexandrinam paulo post ortam confecerit, cum admisisse quidem e textu τῆς ζωῆς additamenta quaedam, rejecisse tamen plurima majore emendandi studio ductum. Quo factum esse ut additamentorum textui τῆς ζωῆς proprietatum in textu mas. plurima, in versione alex. pauca, in utroque textu nonnulla reperiantur.

Ex Moversii igitur sententia haec est brevis libri Jer. historia. Quinto Jojakimi anno oracula a Barucho scripta edita sunt, anno 605. Post exsilium editor libb. Reg. omnia oracula collegit, exceptis capp. 27—29 et 30, 31, 33., fortasse circa annum 530. Inde ab hoc tempore textui τῆς ζωῆς multa additamenta adiecta sunt. Deinde Nehemia omnia oracula collegit primamque recensionem sive recognitionem instituit, circa annum 430. Denique recensio alex. instituta est, circa annum 330.

§. 5.

Moversii sententia explicata, quid nos sentiamus jam proponendum est. Nam quum Moversii edita commentatione omnes qui hac de re scripserunt vel eam attigerunt, aut secuti sint vestigia Moversii aut non mediocrem operam curamque in confutandis ejus argumentis consumpserint, nobis de eadem re ita disputandum videtur, ut Moversii sententiam accuratius percenseamus, non neglectis iis quae ab aliis jam contra dicta sunt. Sed praemittendum est, eos quibus Moversii sententia probata est in singulis Jer. locis explicandis, excepto de Wettio vix uno loco ab illo dissentiente, minime ubique cum Moversio consentire. Nam Hitzigius quidem, tametsi judicat¹, Moversium primum inter omnes, qui in recensendo Jer. libro elaboraverint, artis criticae non expertem se praebuisse, tamen multis in locis textum hebr. fatetur ab interprete alex. et contractum et corruptum esse². Ewaldus autem, quum tempore interpretum alex. in codicibus hebr. magnam fuisse varietatem statuat³, genuinam vero lectionem haud raro receptam esse ab interpp. alex.: tamen tantum abest, ut singulis in locis interpretandis cum Moversio semper consentiat, ut concedat, multis in locis interpretem textum Jer. hebr. modo non accurate legisse vel inconsiderate vertisse, modo ex lubidine mutilasse, ob eamque causam cavendum esse, ne quis genuinas vers. alex. lectiones confundat

¹ In praef. commentarii ad Jer. p. 6. — ² idem l. c. p. 7. de Moversii commentatione judicat: „ich habe Vieles darin als bleibenden Gewinn für die Wissenschaft erkannt; noch Mehrerem musste ich die Zustimmung versagen. Ihr Verfasser hat für die LXX, vermeintlich für deren hebr. Grundtext, ebenso einseitig Partei genommen, wie alle Andern von jeher für unsere hebr. Recension etc. Dergestalt lag mir die Pflicht ob, allenfalls in den einzelnen Fällen die Herstellung des richtigen Textes zu unternehmen.“ — ³ Die Propheten des alten Bundes II. p. 23.

cum iis, quae modo interpretis arbitrio sint ortae, modo codicum depravatione, modo mendis a librariis vel errore vel consilio in ipsam versionem illatis. Vindicias autem textus hebr. qui scripserunt, Kueperus¹ Haevernickius², Wichelhausius³, omnes ita consentiunt, ut duplicis recensionis sententiam omnino rejiciant et a solo interprete discrepancias omnes repeatant.

Cap. II.

De argumentis nonnullis contra Moversium allatis.

§. 6.

Moversium, virum ut omnes concedunt sagacitatem insignem, ad confirmandam duplum recensionem nihil omisso facile intelligitur. Quem Haevernickius in textu hebr. recensendo eo licentiae progressum esse judicat, ut audacius confidentiusque ex Hubigantii temporibus in textum hebr. satis appareat invectum esse neminem. Metuit autem ne, si auctoritas versioni alex. tanta tribuatur ut inde textus hebr. mutetur, literarum progressus hac in re admodum retardentur. Nam non nisi vanis conatibus operam perdituros esse, qui versioni alex. ita faveant, ut hebraicum textum conentur inde emendare. At ego, quum ut quaestio solvatur plurimum intersit, quidquid statuendum est de Moversii duplice recensione, minime equidem aegre fero quod is summa sagacitate proposuit, quaecunque ad confirmandam hanc utriusque recensionis sententiam proferri possunt. Nec fieri potest quin profitear, nonnulla Moversii argumenta ea esse, quibus primo adspectu facile commovearis. Quum enim interpretem alex. omnes concedant revera ad verbum saepe transtulisse, non inepte quidem Moversius: quoniam in versione modo deessent quaedam quae in textu hebr. legerentur, modo reperirentur quae in textu hebr. desiderarentur, quis tandem credere posset, interpretem modo additamenta supervacua textui inseruisse, modo alia ad illustrandum valde apta omisso? Fieri potuisse, interpres ut quae legeret falso quidem verteret: ut omnino omitteret, non potuisse. Accedit quod excepto Jobi libro multis in locis propter obscuritatem mutilato quum ex plurimis V. T. libris versis, tum ex indole et Pentateuchi alexandrinii et librorum apocryphorum Alexandriae a Judaeis compositorum facile colligitur, Alexandrinorum fuisse, V. T. libros semper maluisse addendo amplificare, quam resecando in brevius contrahere. Utut vero ipsa re accuratius cognita atque perpensa de Moversii sententia judicandum est, tamen eum ad solvendam hanc quaestionem plurimum profecisse facile intelligitur. Nam Moversius, ut ipse de versionis indole accuratius inquirens eam sibi disputationis viam aperuit, qua sola majorem versioni tribuendam esse auctoritatem demonstrandum erat, sic idem, ut alii etiam accuratius versionis indolem investigantes eam ingredierentur viam, qua sola masorethici textus defendenda erat auctoritas, comminatione efficit. Quorum primum Kueperum supra commemoravi, virum illustrissimum ac de V. T. interpretando optime meritum, qui multa bene atque praecclare hac de re disseruit, ut, qui Jeremiae textus mas. existiterunt patroni, omnes vestigia ejus secuti sint. Tamen fieri non potest quin quaedam ejus argumenta ea esse contendam, quae ad refutandum Moversium non satis valeant. Itaque, quum cavendum putem, ne textus mas. auctoritas argumentis, quae minimi — ne dicam nullius — momenti sint, potius infirmetur quam confirmetur, accuratius de his nobis disputandum esse censemus.

Kueperus autem, ne quis interpretem accurate et todidem fere verbis et eodem singulorum verborum ordine vertisse Moversio credit, demonstratus interpretem interdum quidem anxie ad verbum vertisse, nec tamen hoc obstitisse quin facile a verbis hebr. recesserit, eum explicat nec circa literas nec formas nec

¹ Appendix libri inscripti: Jeremias librorum sacrorum interpres atque vindex. — ² Handbuch der hist. kritisch. Einleit. II. 2, pag. 250. seq. — ³ De Jer. versione alex.

singulas voces nimis anxium tuisse: ex quo concludit, quoniam interpreti iis in locis innumeris quos male transtulerit fides haberi non possit, pariter ei non credendo abrogandam esse fidem in iis, quibus non transtulerit quae in textu mas. legantur. Quod probandum esse nego. Duplex enim est libri Jer. discrepantium genus, alterum iis in locis obvium, quibus interpres difficultate aliqua commotus male vertit, modo literas modo formas modo singulas voces commutans vel omittens, — alterum in iis, quibus nulla est difficultas, qua commoveri potuisset, ut voces versus capitum membra omitteret. Fieri autem potest ut interpres aliquis in iis quidem locis, in quibus haeret, transferendo peccet et a textu principe recedat, in iis tamen, in quibus nulla omnino occurrit difficultas, religiose textui adhaereat. Quid ergo? quum interpretem locis a Kuepero citatis demonstrari possit difficultate aliqua commotum a textu principe discessisse, num his ex vitiis concludi potest, in iis locis a Mov. notatis qui nulla omnino difficultate laborant (cf. Mov. l. c. §§. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13.) interpreti discrepantias vitio esse vertendas? Quapropter non possumus cum Kuepero consentire, quod ad solvendam quaestionem eam, quomodo factum esset ut in vers. alex. saepius voces complures et versuum dimidia deessent, conclusioni illi plurimum tribuit, et quod quae inde a p. 196 de „commatum omissionibus“ disputavit potius ponendo quam argumentando dicere se posse existimavit.

Jam vero singulos locos perlustrantes hanc sententiam probabimus. Atque ab iis locis ordiendum videtur, quibus K. interpretem demonstrat vel voces non punctatas sua mente saepe iis instruxisse vocalibus quas nemo pro nexus locorum probare possit, vel in verbis apte disponendis minime perspicacem fuisse eoque sententias languidas futesque effecisse. Concedimus, imo ne hoc quidem negamus, ex eo satis intelligi quam caute de statuendis diversis lectionibus sentiendum sit. At tamen in eo prorsus a Kuepero dissentimus, quod is pravam versionis indolem interpretis negligentiae festinantiaeque tribuens non querit, quomodo factum sit ut interpres male verteret, utrum negligentia et temeritate an imperitia atque errore. Quum enim, sicut in transferendo quovis libro, ita in vertendis vocibus hebr., quae vocalibus instructae non sunt, aliud sit temere, aliud errore sensum pervertere, quumque interpretem alex. linguae hebr. non satis peritum fuisse subsidiisque quibus nos utimur caruisse inter omnes constet: quis est qui neget fieri potuisse ut interpres voces non punctatas sua mente inepte et instruens vocalibus et inter se disponens a textu principe non temere sed errore ductus recederet? Neque iis in locis possumus cum Kuepero consentire, vel quibus nomina propria occurrant, quorum literae cum similibus ab interprete inter se confunduntur, velut c. 25, 23 'Πῶς, mas. Bus — c. 38, 1 Σαρανίας, mas. Sephatja — Νάθαεν, mas. Mathan — (cf. c. 48, 34 Νερούεν; c. 49, 1 Μελχόλ; v. 27. Ἀδέρι all.), vel quibus commutatis singulis textus hebr. literis voces lectioni vulgatae similes versae sunt, ut c. 2, 16 ἔγνωσάν τε ι. e. קָרְבָּן, mas. depascunt te ι. e. קָרְבָּן — v. 19. εὐδόκησα ι. e. בְּחַרְפָּה, mas. timor mei ι. e. פְּחַדְתִּי — v. 24. ἐπλάτυνεν ἐφ' ὑδαῖς ἐρήμου ι. e. מְגֻדְבָּה, mas. onagra assueta desertis ι. e. פְּרָא לְבָדְבָּר — v. 31. καὶ οὐκ ἐγοβήθητε ι. e. מְבָלָגָה, mas. o vos generatio ι. e. בְּהֵדָר אֲמָם — (all., cf. Kuep. p. 192). Quibus in locis concedo versionis lectiones textui masorethico non esse praferendas; at socordiae interpretis arbitrioque ne festinantius cum Kuepero hae literarum commutationes criminis dentur cavendum existimo. Nam praeterquam quod omnino ignoramus, quae commutationes ipsi interpreti, quae codici ejus hebr. sint tribuendae, omittendum non est, si sit interpreti commutatio aliqua tribuenda, aliud esse, si is vitio oculi vel etiam vitio librarii ejus qui codicem hebr. transscriperit in errorem abductus commutaverit, aliud, si commutaverit, quod accurate interpretationi omnino operam non dederit.

Quocirca ex his omnibus hoc quidem confessum esse putamus, ex locis Kueperi huc usque commemoratis de negligentia causa discrepantium concludi non posse. Quod multo minus ex iis locis effici potest, quos ipse Kueperus statuit ab interprete utique intellectos non esse, qui, „ut sensus quidam prodiret“, singula verba modo adjunxerit modo omiserit modo commutaverit (cf. Kuep. p. 193). Quibus e locis nihil

aliud colligi potest, nisi interpretem non intellexisse alios locos, qui sane haud exiguum verborum difficultatem omnibus interpretibus vel doctissimis afferunt, alios, qui hisce temporibus ab omnibus linguae hebr. gnaris facile intelliguntur. Quid autem id habet mirabile, quum plurimos V. T. interpres alex. mediocriter tantum hebraice scivisse satis constet¹? Itaque quum vitia huc usque commemorata interpretem tamquam negligentem atque ad arbitrium agentem non coarguant, quumque appareat potius, eum in transferendo peccavisse ut linguae hebr. mediocriter tantum peritum, ex iis quidem argumenta repetenda non sunt ad solvendam quaestionem eam, quomodo factum sit ut interpres omnia ea omittat quae Mov. notavit, non solum singulas voces, sed etiam integra versuum dimidia atque locos longiores, praesertim quum his in locis plurimis nulla insit difficultas, qua interp. commoveri potuisse ut eos omnino omittat (cf. Mov. l. c. §§. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13.).

§. 7.

Sed alia praeterea exempla Kueperus in medium protulit, quasi ad solvendam quaestionem modo commemoratam admodum essent apta, quibus tamen, si accuratius considerata erunt, non semper credendum esse intelligetur. Demonstrat enim interpretem formas grammaticas non curare, notatque primum locos, in quibus is personas ad arbitrium commutaverit. Quorum ut nonnullos afferam, c. 2, 25 vox translata est *η δὲ εἰπεν*. Concedimus in ipsa voce וְאַמְרֵי per se nullam inesse difficultatem; tamen hic locus ad idem discrepantiarum genus referendus est, quod in difficultate sensus positum esse supra demonstravimus. Interpres enim, qui vv. 20. et 23. הָאָמַרְיִ recte vertit, in extremo versu 23., quum verba et quae v. 24. usque ad מְדֻבֶּר sequuntur omnino non intelligeret, quumque eum fugeret mentionem fieri de camela celeri et de onagra silvis adsueta et conferri cum iis populum Israeliticum, fieri non potuit quin verba *spiae libidinis* aviditate anxie spiritum ducit ejusque libidinem coitus quis inhibere poterit? omnes qui eam quaerent non fatigabuntur: mense suo eam paratam invenient — haec igitur verba dico, quae ad onagram spectant, ad populum putaret esse referenda. Quumque tertiam personam semper populum Israeliticum significare crediderit, non potest offendere, quod is post allocutionem „noli te adeo impudenter denudare“ (ut sensum tantum explicemus), praesertim quum deinceps v. 26. tertia persona populum Israeliticum indicet, orationem nisi eadem ratione progrederi non posse existimans omissa sola Jod litera הָאָמַרְיִ pro הָאָמַר transtulit. Quamquam igitur conjecturam interpres hoc loco fecit, tamen non eam ex qua possit concludi, tam negligentem eum et pro lubidine versatum fuisse, ut ubique plura verba atque integra versuum capitumque membra omittere non dubitaret.

Deinde c. 2, 30 interpres לְקֹחַ vertit per εδέξασθε. Quo loco primum monemus, Kueperum eos tantum locos se attulisse dicere, ubi alia lectio hebr. omnino conjici non possit². Quid vero? qui cum interprete pro voce לְקֹחַ vocem לְקֹחָם substituant, nonne sunt, non esse possunt? Hitzigum quidem video in commentariō p. 20. sic statuentem: „Das Schielende der Construction wird durch εδέξασθε, welches mehr als blosse Interpretation sein dürfte, beseitigt.“ Deinde, quamquam ipse aliam lectiōnem hebr. non conjicio, tamen cogor profiteri, sententiārum nexum hoc versu minime esse omnino planum, quam ob causam aliter Ewald,³ aliter Umbreit⁴ et Hitzig.⁵ explicant, quomodo verba priora „frusta affixi

¹ Cf. Gesenius Geschichte der hebr. Sprache, p. 76. seq., ubi is demonstrat, interpres alex. alia verba eaque difficiliora semper bene vertisse, alia tamen eaque faciliora quomodo vertenda essent nescivisse. — ² Cf. p. 190: „exempla citata plerumque ad sensum locorum parum faciunt; sed et magna similium mole collecta sunt, ut interpretem in rebus minoribus, ubi simpliciter alia lectio hebr. conjici non possit, ab textu principe discessisse appareat.“

³ Cf. die Propheten des A. B. II. p. 33. — ⁴ Cf. Praktischer Commentar über den Jeremia p. 18. — ⁵ Exeg. Handbuch, der Prophet Jer. p. 20. —

filios vestros“ conjungenda sint cum ultimis „gladius vester comedit prophetas vestras instar leonis crudelis.“ Ut autem denique explicemus cur **לְקֹחַ** translatum sit per ἀδέξασθε, interpres, quum verba „affixi filios vestros“ putaret per parallelissimum membrorum, ut dicunt, deinceps his exprimi „gladius comedit prophetas vestros,“ necesse erat conjiceret in vocabulo **חָרְבָּם** pronomen suffixum esse delendum et pro **לְקֹחַ** substituendum, quoque facilius parallelismus membrorum intelligeretur, in extremo versu addendum **זֶה וְזֶה** ἐφοβήθητε. Sensum igitur etsi non verum, at planiorem certe reddidit, quam qui inest in hebr. textu. Itaque neque inconsiderate neque negligenter recessit a textu masorethico.

Praeterea c. 8, 6 interpres voces **הַקְשִׁבְתִּי אֲשֵׁמָעָה** vertens ἐνωπίσασθε δὴ **זָהָרָא** ἀνούσαις personas commutavit. Tamen, quum non intelligeret quid valereret **לְאַרְכָּן** (nam pro „non rectum“ i. e. mala, scelerata [sc. loquuntur] sive non recte [loquuntur] vertit **οὐχ οὕτω λαλήσονται**), eum totius quoque loci verum sensum non intellexisse licet opinari, quod praeterea probatur interpretatione minime apta, ita ut hoc quoque loco non levitate sed errore factum sit ut personam permutaret. Idem statuendum est de loco c. 22, 14, ubi is **הַאֲנָצָר אֲבָנָהָלָל** transtulit per ὡροδόμησας. Cujus rei, ut opinor, haec est causa. Interpres, quum structuram hebr. eam non intelligeret, qua v. 13. participium **בְּנָה** excipitur verbis finitis **יַעֲבֹר** et **יַרְדֵּן**, et qua v. 14. participium **הַאֲנָצָר**, quod respondet participio **בְּנָה**, excipitur verbo finito **וְקַרְבָּן**, — hanc igitur structuram quum non intelligeret, ne id quidem intellexit, quid v. 14. participium **הַאֲנָצָר** sibi vellet, ob eamque causam et hoc omisit et pro **הַבְּנָהָלָל אֲבָנָהָלָל** conjectit.

Restat ut demonstretur, quid de locis c. 25, 4; 30, 5 a Kuepero notatis statuendum sit. Nam interpres c. 25, 4 **תַּלְשִׁל** vertit ἀπέστελλον, c. 30, 5 **שְׁמֻעָה** vertit ἀνούσαις. Qui loci Kuepero, quippe eos tantum citaturo, ubi simpliciter alia lectio hebr. conjici non posset, erant praetermittendi. Primum enim, quum capit 30. versus 1—4 Moversius contendat¹ una cum verbis „sic loquitur Jehova“ v. 5. obviis posteriore tempore esse adscriptos, etsi eadem omnia in versione alex. leguntur: si qui a Moversio stent, pro sententiis suis non inepte conjiciant, auctorem recensionis alex. pro voce **שְׁמֻעָה**, quae illis versibus iisque quae sequuntur verbis **ε κοινῆ** insertis non jam apta esse visa sit, substituisse vocem **עֲמָשׁ**, ut interpres alex. nihil verterit, nisi id ipsum quod legerit. Deinde vero, quod c. 25, 4 interpres voces **תַּלְשִׁל הַזָּהָרָא** vertit ἀπέστελλον, id cum eo cohaeret, quod is in tertio quoque versu a textu hebr. recessit. Desunt enim in LXX verba **הַזָּהָרָה אֶל**; desunt praeterea verba „et non audivisti,“ quae v. 4. repetuntur (cf. Mov. §. 7). Hic igitur locus, qui ad eos erat referendus, quorum lectio brevior utrum ampliori praeferenda esset necne quae-rebatur; ex eadem quam supra indicavimus causa propter personae permutationem non erat notandus.

Uberius his de locis disputavimus, ne cui idem persuaderetur, quod Kuepero, interpretem personas commutavisse, quasi formas grammaticas omnino non curavisset. Nam curavit is quidem, ubi salvo sensu fieri potuit. Ubi autem, id quod propter mediocrem linguae hebr. scientiam saepius factum est, haesit et de sensu dubitavit, idem fecit, quod omnes interpres, scilicet, ut sensus aliqui prodiret, quomodo loci mutandi essent conjicit. Quod eum saepius ineptiusque fecisse, quam qui bonus interpres haberit possit, concedimus, neque hoc quidem negamus, illis locis dilui quod Moversius existimavit, interpretem semper totidem fere verbis interpretari studuisse; at negamus, ex illis locis ullo modo posse colligi, quibus ex causis acciderit ut innumeris in locis omitterentur quae omnino obscura non erant.

Neque id ex iis potest colligi locis in quibus Alexandrinus ea usus est licentia quae nemini interpreti vitio est vertenda. Nam ex eo quoque numero Kueperus locos complures notat, quibus interpres vel voces lectioni principi fere synonymas reddit, vel quae metaphorice dicta sunt in proprias locutiones resolvit, vel ad comparationes atque similitudines, quae in contextu inveniuntur, accommodat quae simplici oratione

¹ Cf. l. c. p. 38. —

discribuntur. Quae omnia, quum qui V. T. graece verterunt hebraice nescientibus scripturas sacras maluerint legendi dare facultatem, quam ipsi in studiis versari disciplinasque colere non sunt ea quibus offendamur, nec vero illa, quibus interpres verba hebraica pluribus verbis explicavit. Haec a bono interprete non omnino aliena esse quis ignorat? Sane vero, qui hoc modo vertat, nisi summa sit intelligentia summoque judicio instructus, fieri possit ut propositum saepe non assequatur, ut bene vertat. Nam polite enucleateque atque simul explorate accurateque vertere nequit, nisi qui et utramque linguam prorsus intelligat et idem sit ab omni parte elegantissimus judex. Talem eum qui librum Jer. graece transtulit minime fuisse concedimus quidem, negamus tamen, ob ipsam hanc rem omnia ea, quae Mov. additamenta esse duxit interpolatorum posteriorum, interpretis ducenda esse omissions.

Qui autem sibi proposuit, omnia ea quae Moversius additamenta esse statuit probare esse genuina, ab Alexandrino autem omissa: ei probandum est imprimis id quod Wichelhausio persuasum est¹, Alexandrinum, quum existimaret Jeremiae dictionem nimis scrupulosam remissam verbosam esse, brevitatis ductum studio textum ubique in brevius contraxisse. Praeterea demanstrandum est, illum multis in locis, ubi in verbis quidem earumque in formis non haeserit, offensus tamen sit sensu, proprias fovisse opiniones atque suo ex ingenio dijudicavisse mentem scriptoris. Quibus de rebus sequentibus capitibus disputabimus. Sed antea quaedam Kueperi rationes, ut dixit, generaliores percensendae sunt, quibus is argumenta Moversii „a fundamentis quodammodo eruisse“ sibi visus est.

§. 8.

Primum Kuep. negat esse verisimile, librum Jer. diligentius contrectatum undique ita depravatum esse, ut scateat commutationibus plerumque ineptis. Non enim esse credibile, si uno in exemplari factae essent commutations, futurum fuisse ut ab omnibus Judaeis eae reciperentur. At Moversius, ut Nehemiam contendit textus recensionem sive recognitionem eam instituisse quam exhibeat textus mas., ita eundem et primam omnium Jer. vaticinorum editionem emisisse et canonis prophetarum auctorem fuisse probat. Qua de sententia, quum si ea sit probanda concedendum sit fieri potuisse ut commutations uno in exemplari factae ab omnibus Judaeis reciperentur, Kuepero explicandum erat. Quod autem Kuep. Judaeorum, qui post collectum quidem canonem ausi non sint οὐτε προσθεῖναι οὐδὲν, οὐτε ἀφελεῖν αὐτὸν, οὐτε μεταθεῖναι², ante collectum canonem negat morem utique contrarium esse potuisse, ad confirmandam hanc sententiam nihil alind quam verisimile non esse et ne cogitari quidem posse dicit. Atqui constat hoc quidem, in tractandis conservandisque libris sacris Judaeorum morem antiquissimis temporibus minime fuisse tam religiosum, quam post collectum canonem, ut ipse Haevernickius, quamvis in plurimis rebus consentiat cum Kuepero, tamen ante collectum canonem textum librorum sacrorum liberius tractatum esse quodammodo concedat³. Qua in re quum maximi sint ponderis apud multos quidam loci, ubi eadem capita variis in libris V. T. ita leguntur, ut plerumque quidem alter textus cum altero consentiat, discrepantiae tamen exstant non paucae⁴: miror quod Kuep. hos locos hac in quaestione silentio praeterit, ut quid de iis statuat omnino non liqueat. Itaque ego, non ut nova quaedam in lucem edam, sed ne praeteream quae ad propositum pertinent, exempli causa jam conferam textum capituli 22. libri 2 Samuelis, cum Psalmo 18., quo facto facile dijudicari poterit, quid sit de primo Kueperi arguento statuendum.

Unum idemque Davidis carmen utroque loco legi, indicatur iis quae et c. 22. lib. 2 Sam. et Ps. 18. sunt inscripta, a Davide hoc carmen eo die compositum esse quo e manu omnium inimicorum et e manu Sauli

¹ Cf. l. c. p. 62. — ² Josephus contra Apionem 1, 1, 8. — ³ Handbuch d. hist. krit. Einl. I, 2. p. 9. — ⁴ Cf. Ps. 18. et 2 Sam. c. 22. — Ps. 14. et Ps. 53. — Ps. 105. et 1. Chron. c. 16, 8—22. — Ps. 116. et 1. Chron. c. 16, 23—33. — Jes. capp. 36—39 et 2 Reg. capp. 18—20.

Jehova illum eripisset. Omissis autem iis locis, ubi in textu altero scriptio ut dicunt plena, in altero defectiva reperitur, vel ubi litera He paragogicum in altero est affixa, in altero deest, recenseamus primum eas discrepantias quae possint ortae esse errore librarii alicujus vel literas simillimas commutantis (ut Sam. v. 11. וְרָא et conspicuus erat, Ps. זָרָא et volitavit — v. 12. Sam. חַשְׁרָה, ἀπ. λεγ., quod plerique interpretantur „congregatio“, Ps. חַשְׁבָּה caligo — v. 16. Sam. אֲנִי nasus ejus, Ps. אַפְקָן n. tuus — v. 33. Sam. דָּרְכִּי Ps. אַרְקִים quod Ges. vertit „ducit“, Luth. „weiset“, Ps. מְנֻן reddit, Luth. „macht“ — v. 43. Sam. אַדְקָם comminui eos, Ps. אַרְקִים evacui, effudi eos) vel literas quasdam transponentis (ut v. 12. Sam. סְכָנָה tuguria, Ps. tugurium suum — v. 46. Sam. וְהַגְּרֵנוּ et accinguntur, Ps. וְהַדְּרֵנוּ horrescunt) vel literas quasdam sive addentis sive omittentis (ut v. 16. Sam. יָם mare, Ps. מָם aqua — v. 26. Sam. נְבוּ Ps. נְבוּ — v. 27. Sam. וְנַהֲרָה, Ps. נְהֶרֶת et הַחֲפֵל et הַחֲרֵב et הַחֲמֵד et הַחֲמֵר et הַחֲמֵר et הַחֲמֵר — v. 34. Sam. רְגֵל, Ps. וְנַהֲרָה, Ps. וְנַהֲרָה — v. 35. Sam. וְנַהֲרָה, Ps. וְנַהֲרָה — v. 36. Sam. וְנַהֲרָה, Ps. וְנַהֲרָה — v. 40. Sam. וְהַאוֹרִי, Ps. וְהַאוֹרִי — v. 41. Sam. וְהַתְּהֵה, Ps. וְהַתְּהֵה — v. 42. Sam. יְשֻׁעָה, Ps. יְשֻׁעָה — v. 43. Sam. אֱלֹהִים, Ps. אֱלֹהִים). Quos inter locos nonnulli sunt ejusmodi ut lectionum altera salvis le-gibus grammaticae cum altera commutari potuerit, cf. vv. 35. 40. 41. 43; forma דָּרְכִּי, cuius in locum etiam Masorethae in margine substituerunt דָּרְכִּי, per errorem videtur irrepsisse; formam licuisse breviorem reddi Resch litera semel tantum posita Ewaldus probat¹; pro forma brevior רְחַפֵּל sine dubio posita est, ut formae הַחֲרֵב esset similis. Sed praeter has in locis citatis inveniuntur discrepantiae, e quibus aliae prodeunt radices, cf. vv. 11. 12. 33. 43, verumtamen non eae, quae sensum non praebant². Itaque vel ex his locis aliquis possit opinari, discrepantias utriusque textus non tam casu atque librariorum errore, quam textus principis retractione quadam ortas esse. Sed utut est, hoc certe demonstrari poterit, duplum ex-stare textum ejusdem carminis a Davide editi.

Quorum carminum quantae sint discrepantiae porro intelligitur ex eo, quod duodecim locis quae in altero textu leguntur in altero desunt. Desunt autem modo integrae sententiae (cf. v. 2.), modo voces sive complures sive singulae quibus in altero textu sententia aliqua amplificatur et illustratur (cf. vv. 3. 12. 14. 36. 39. 43. 47.) vel quibus oratio fit planior et facilior (cf. vv. 7. 15. 25. 29.); qua in re brevissime tantum attingimus eos locos, quibus modo conjunctio in altero textu deest (cf. Sam. vv. 5. 14. 16. 18. 30. 41. 49; Ps. vv. 12. 41. 44.), modo deest pronomen suffigendum (cf. Sam. vv. 2. 15. 16; Ps. 44.), modo deest יְיַהְוָה conjunctio (cf. Ps. v. 5.), modo לְ praepositio (cf. Sam. v. 19.), modo quibus non eadem inveniuntur praepositiones (cf. vv. 14. 24. 32.), modo non eadem pronominal suffixorum formae (cf. vv. 37. 40. 46. 48.), modo aliae formarum leves dissimilitudines (cf. v. 5. סְכָנָה et סְכָנָה — vv. 21. 25. סְכָנָה et סְכָנָה — cf. vv. 29. 32. 49.). Deinde vero praeter has discrepantias quindecim locis variae reperiuntur lectiones (cf. vv. 3. 5. 7. 8. 13. 23. 28. 33. 38. 39. 44. 45. 48. 49. 50.). Quae utrum sensum perspicuum neque a nexus sententiarum alienum utroque loco efficiant, quum oratione quidem alium in sensum flexa tamen quodammodo utraque lectio probari possit, an sint ejusmodi ut alterutra utique rejicienda sit, de hac re non est nostrum quaerere³. Nihil enim aliud nobis demonstrandum erat nisi inveniri utriusque textus discrepantias. Itaque restat nobis haec tantum quaestio, probandumne sit, quod et Hengstenbergio et ante eum nonnullis placuit, ab eodem Davide hanc ejusdem carminis duplum editionem profectam esse. Quam firmis comprobatalem esse argumentis prorsus negamus.

¹ cf. Ausführliches Lehrbuch § 132, d. — ² ne longi simus, delegamus lectorem ad Hengstenbergii commentarii part. I, pag. 382 seq. — ³ Caesar a Lengerke in commentationis „de duplice Psalmi 18. exemplo“ parte II, p. 32. sic statuit: „Cognovimus igitur, utrumque exemplar fere eodem esse numero habendum, quoniam utrumque, et eadem quidem laude excellens, sic similibus (?) tamen commaculatum vidimus mendis, vel ex literarum litura, vel ex librariorum erroribus subortis, vel inde derivandis, quod carmen diu ore hominum memoriter circumferretur.“ Is igitur textum principem judicat periisse.

Argumentum enim id, quo unico sententia Hengstenbergii nititur, repetitum est inde quod haec est utriusque textus eadem inscriptio: Cecinit David Jehovae verba hujus carminis, quo die (i. e. tempore) Jehova eum liberavit e manu omnium hostium ejus atque e manu Sauli.“ Quibus a verbis ut probaretur repeti posse argumentum, explicandum erat Hengstenbergio, inscriptioni tantum momenti tribui aut posse aut debere, ut non solum carmen, sed etiam ipse duplex textus Davidi esset adscribendus, nec vero posset statui, carmen eadem inscriptione praefixum pluribus locis mutatum esse. Hoc proximum erat, quod Hengstenbergio inde concludendum erat, nisi firmissimae obstiterunt causae: itaque hoc refutandum erat Hengstenbergio prius quam ex utriusque textus inscriptionibus concluderet, Davidem suum carmen ipsum retractavisse. Accedit quod ea sententia a vero plane abhorret. Nullo enim pacto intelligi potest, qua re commotus David illud fecerit. Nam quod H. illum non id egisse dicit, ut textum principem tamquam obsoletum corrigeret (principem enim textum H. dicit in Ps. 18. esse, quem meliorem habet), sed ut variaret: tale variandi studium, quale ei hac sententia probata nonnullis in locis esset tribuendum, Davide videtur sane indignum. Qui enim solo variandi studio in carminis sui altero textu scriberet אָדָם, in altero אָדָם — qui in altero אָדָם, in altero אָדָם — qui אָדָם et אָדָם, — qui יְהִינָּה et יְהִינָּה, — qui נָבָר et גָּבָר, is non viri artis poeticae luculenter periti, sed hominis pueriles nugas frigidasque minutias aucupantis prae se ferret speciem. Quodsi igitur utrumque textum ab ipso Davide esse editum neque probatum est firmis argumentis, neque ad verum prope accedit, satis est hoc loco demonstrasse esse utriusque textus diversitates plurimas. Quae utrum ab eodem homine eodem tempore, an a pluribus variis temporibus profectae sint, non est quod a nobis dijudicetur.

Jam vero, quoniam ex iis quae modo exposita sunt satis intelligitur, Judaeos in scripturis sacris ante collectum quidem canonem non eodem modo esse versatos, atque post canonem, post longam digressiōnem tandem ad ipsam nobis rem est revertendum et dijudicandum, possitne cogitari Jeremiae quoque textui accidisse ut post prophetae mortem alia adderentur, alia omitterentur, alia commutarentur. Id ne cogitare quidem posse quum statuerit Kuep. in ea re cogimus huic viro amplissimo repugnare et cum Moversio consentire: alia tamen quaestio nobis videtur, possitne demonstrari et firmis quidem argumentis probari Jeremiae vaticiniis id revera accidisse, et si ita sit, commutationes esse ineptas. Nam aliud est contendere textum commutatum esse, aliud, eum ita depravatum ut mendis scateat.

Hoc ipso alterum debilitatur argumentum Kueperi, cuius ipsius verba haec fere sunt: „quoniam singuli V. T. libri singulariter considerari nequeunt, Moversii probata crisi revertendum esset ad eandem totius textus hebr. despicientiam quae, a Capello Lowthio Houbigantio Michaeli defensa, nostris temporibus, postquam extiterunt de Wette Gesenius Rosenmüller Wiener aliisque viri perillustres fere inveterata nominari potest“. Quod argumentum concedimus probandum esse, quatenus Mov. non tam duplēm recensionem defendit, quam textum mas. despicit. At sine totius textus mas. despicientia in quibusdam Jeremiae locis eum non esse textum principem possit cogitari. Itaque, quid de textu masorethico statuendum sit, singulis inspectis locis dijudicandum erit.

Jam tertio Kueperi arguento generali confirmari magis quam refelli videtur Moversii sententia. Quod enim in medium profert, non solum apocryphos libros multos ab Alexandrinis esse factos, sed etiam ipsis libris canonicas narratiunculas et additamenta spuria passim esse interposita, quodque e consensu qui est Pentateuchi samaritani cum versione alex. concludit Alexandrinos ad Samaritanorum arbitrium fuisse propclives: eo confirmatur quodammodo quod Moversius probavit, Alexandrinos maluisse libros V. T. addendo amplificare, quam resecando in brevius contrahere.

Neque quarto arguento Moversii sententia refellitur. Putat autem Kuep., quod traditione antiqua

et codices V. T. et interpretes Hierosolymis Alexandriam arcessiti ferantur, id ea saltem videri veritate niti, quod recensionis palaestinensis auctoritatem Alexandrini utique non abnegaverint versionique fidem palaestinensem enixe vindicaverint. Codicum autem si unquam eadem fuisse differentia, quae sit inter Jer. textus. et vers. alex., certe etiam ad tempora posteriora eam perduraturam fuisse. Itaque magni momenti esse, quod ea neque a Josepho Philoneque, neque ab aliis ullo verbo commemoretur, et quod ex auctoritate versioni ubique concessa consequatur, „Judeos, caeterum magno odio in literas Graecas latos, a crimen Alexandrinis propter textus sacri depravationes faciendo longe abfuisse“¹. In quo concedimus, qui Moversii sententiam sequantur, eos non posse explanare, quomodo codex ille antiquior quem statuunt in Aegyptum pervenerit. Jam enim eum inde ab ipsius Jeremiae temporibus semper in Aegypto fuisse, vix fore puto qui credat². Concedimus praeterea, nullius veteris scriptoris auctoritate comprobari posse, fuisse unquam in Aegypto Jeremiae recensionem a codicibus palaestinensibus discrepantem. Neque tamen Moversii sententia, si ceteroquin argumentis probari possit firmissimis, vel ob eam sit causam rejicienda, quod ea scriptoris ullius auctoritate confirmari non possit. Ut enim alia omittam, ex fabulis quae de origine versionis tunc apud omnes circumferebantur apparet, de ea re neminem quidquam certi compertum habuisse. Quod autem Josephus Philoque versioni fidem palaestinensem enixe vindicaverunt, inde sequitur quidem eos codicum hebr. discrepantium nullam habuisse notitiam. Sed quantuli hoc momenti est, quum ex eadem re sequatur, ne ejus quidem discrepantiae quae revera fuit, inter versionem scilicet et textum palaestinensem, habuisse eos notitiam. Quod praeterea Judaei illo tempore versioni graecae eique admodum discrepanti a textu hebr. summam auctoritatem omnes concesserunt, id eo factum crediderim quod qui versione graeca utebantur iidem hebraice nesciverunt, qui textum hebr. legere poterant iidem versione gr. usi non sunt. Quamquam igitur ex auctoritate versioni graecae ab omnibus Judaeis concessa efficitur, ut ii nec codicum hebr. discrepantium notitiam habuerint, et ab incriminatione Alexandrinorum propter textum sacrum depravatum longe abfuerint, tamen ut duplex Jer. libri recensio revera non fuerit minime efficitur. Nemo enim Judaeorum eo tempore, ut versionem alex. summis efferret laudibus, commotus est eo, quod versionem cum textu hebr. accurate contulisset. Quid quod negari non potest Judaeorum eos qui hebraice sciverint versioni tantam auctoritatem bona fide concessisse, quoniam in omnem orbem religionis judaicae nomen ea propagari sibi sint congratulati, eos autem qui hebr. nesciverint, nempe Alexandrinos, versioni fidem palaestinensem enixe vindicavisse, quoniam linguae hebr. periti textumque hebr. religiose reservantes tunc temporis in Palaestina fuerint, in Aegypto non fuerint? Quae quum ita essent, fieri non potuit quin Alexandrini ut versioni gr. ita codicibus suis hebr. fidem palaestinensem enixe vindicarent. Quid igitur? quum errarint in eo quod de consensu versionis cum textu hebr. palaestinensi eis persuasum erat, mirumne videbitur, si de codicibus in eundem inciderint errorem? Restat ut pauca dicamus de Josepho. Quem si recte ut opinor Gesenius statuit³ in antiquitatum libris componendis et versione alex. et textu hebr. esse usum, concedendum est textum gr. ab eo cum textu hebr. interdum collatum esse. Tamen is tam negligenter contulit, ut partim discrepantiarum plurimarum ne gnarus quidem fuerit, partim, si quae ei occurserunt diserepantiae, non dignas eas habuerit, quae commemorarentur. Constat enim Josephum et linguam hebr. minime habuisse penitus cognitam et ipsum hominem fuisse qui literas leviter tantum attigerit. Ex quo intelligitur, ad refutandum Moversium non majoris momenti esse, quod ne a Josepho quidem ulla unquam codicum hebr. differentia commemoratur.

Transeundum est ad quintum Kueperi argumentum generale ab indole versionis universae repetitum. „Omnes concedunt“, ait, „ex versionum antiquarum differentia, qualiscunque sit, non statim sequi ut aliae

¹ Putat enim Kuep., si quae codicum differentia fuerit, eam Alexandrinis adscribendam fuisse. — ² cf. Jer. c. 44, 27. — ³ cf. Geschichte der hebr. Sprache p. 81.

lectiones hebr. statuendae sint.⁴ Concedimus. Nullam enim textus hebr. lectionem ob eam solam causam rejicimus, quod versio alex. cum ea non consentit. Sed iidem contendimus, pariter discrepantias non tam parvi aestimandas esse, ut lectiones versionis alex. posse esse genuinas celerius negetur. Praeterea, quoniam in omnibus fere versionis alex. libris omissionum additamentorum permutationum vestigia multa recenseri possunt, concedimus quidem mirum non esse quod Kueperus textui mas. credere mavult, quam versioni alex. Verum tamen, quum ex vitiis in Jer. textu gr. saepe obviis non efficiatur, ut interpres ne studuerit quidem accurate interpretando, quumque libri Jer. discrepantiarum plurimas eas esse cognitum habeamus, quae ex interprete derivari non possint, nisi demonstratum sit, eum modo omittendi studio ductum textum ubique mutilasse modo sensu offensum suo ex ingenio scriptoris mentem dijudicasse: non potest fieri quin hujus quoque K. argumenti tantam vim esse negemus, quo Moversii sententia jam diluatur.

Sed non est nobis praetermittendum, quod Kuep. dixit tantam esse ipsius versionis corruptionem lectionumque variarum copiam, ut, quae sit lectio princeps, plerumque accurate definiri nequeat. Contra quod docendum nobis est, discrepantiarum earum de quibus potissimum in hac quaestione agitur, plurimas mendis quae in ipsius versionis textum temporum injuria irrepserint, non videri tribui posse. Quod quo facilius intelligatur, natura vitiorum, quae in ipsam versionem irrepssisse videntur, breviter describenda est¹. Atque librariornm errore in vers. alex. plerumque singulae voces corruptae sunt; itaque nomina propria in graecis editionibus jam Origenis et Hieronymi temporibus admodum erant depravata². Interdum etiam singulis litteris calami lapsu modo omissis modo mutatis variae effectae sunt lectiones, ut Orig. hom. 15. in Jer. commemorat c. 12, 10 duas esse lectiones, alteram οὐκ ὀφείλησα, οὐδὲ ὀφείλησέ με οὐδείς, alteram οὐκ ὀφέλησα οὐδὲ ὀφέλησε κ. τ. λ. Magna cum licentia praeterea voculae καὶ, πᾶς videntur a librariis modo additae modo omissae esse, et pronomina μοῦ, σοῦ, ἡμεῖς, ἡμεῖς et personae verbi finiti εἰπον, εἰπα, εἰπε, εἰπαν commutatae; nam his in rebus versionis codicum magna est varietas. Quae autem praeterea ipsius versionis apparent corruptiones esse, additamenta potius quam lacunae sunt. Qua de re bene Frankel³, non abhorrente a verisimilitudine, ubi una vox vel complures dupli modo translatae inveniantur, alteram translationem e margine in textum esse receptam; cf. Exod. c. 22, 16; Num. 32, 16; Jes. 2, 19; 3, 2; 26, 3. Aliis locis translationem ipsam verbo addito explicari, ut his quoque locis glossemata e margine recepta esse conjiciatur liceat; cf. Gen. 28, 13 ἐναπίον; Ex. 11, 2 ζωνφῆ; Gen. 35, 3 καὶ διέσωσέ με; 22, 3 καὶ εύρεθῆ; Deut. 16, 7 καὶ ὀπινήσεις. Imprimis huc referendos esse locos eos, quibus vel translatio vitiosa glossemate addito corrigatur, velut Lev. c. 10, 18 καὶ πρόσωπον per ἔσω, vel et Keri et Ketib legantur, velut Jud. c. 6, 5, ubi cod. Alex. exhibeat παρέφερον i. e. נָבָן (Ketib) quod legerit interpres tamquam Hiphil, καὶ παρεγένοντο i. e. נָבָן (Keri), codex autem Vaticanus tantum παρεγένοντο exhibeat. Denique additamenta inveniri longiora ex aliis locis desumpta, velut in Pentateucho, ubi sexcenti fere loci inveniantur ad alios conformati; cf. praeterea Jobi c. 42. versum 18. e Gen. 36, 32 seq. desumptum; 1 Sam. c. 2. versum 10. e Jerem. c. 9, 23. 24 insertum; Ps. 14. versum 3. aut ex epistola Pauli ad Romanos c. 3, 13—18 desumptum, aut ex Ps. 5, 10; 140, 4; 10, 7: Prov. 1, 16; Jes. 59, 7. 8; Ps. 36, 1 compositum. Es his igitur, quum in Jer. libro textus hebraici et graeci discrepantiae plerumque eoelfificantur, quod textus versionis alex. ma-

¹ Cf. Frankel I. c. p. 63. seq. — ² Cf. Origen. Commentar. in Johannem IV. p. 141. τὸ δὲ ὅμοιον περὶ τὰ ὄνόματα σφάλμα πολλαχοῦ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν ἔστιν ἵδεν, ὃς ἡκριβώσαμεν ἀπὸ τῶν Ἐβραίων μαθόντες καὶ τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν καὶ τὰ ἡμέτερα συγκρίναντες μαρτυρηθεῖσιν ὑπὸ τῶν μηδέπω διασηματεῖσῶν ἐκδόσεων Ἀζίλου καὶ Θεοδοτίου καὶ Συμμάχου κ. τ. λ. — Cf. praeterea Hieron. Praef. in libr. Paralipomenon: libere enim vobis loquor, ita et in graecis et in latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non hebraea quam barbara quaedam et samaritica nomina congesta arbitrandum sit. — ³ I. c. p. 70. seq.

sorethico est brevior, has certe discrepantias corruptioni, quam ipsa versio temporum injuria experta est, non esse tribuendas jure concludimus.

Percensuimus haec Kueperi argumenta, ut generalibus ut dixit K. argumentis Moversii sententiam demonstraremus vix posse dilui. Caput autem nobis rei videtur esse ut dijudicetur, et quid statuendum sit de dissensu qui est non solum inter Jer. capit. 52. textum hebr. et graecum, sed etiam inter textus hebraicos Jer. c. 52. et 2 Reg. c. 25., et quid statuendum sit de consensu, qui est inter textum graec. Jer. c. 52. et inter textum hebr. 2 Reg. c. 25. Nam si concedendum sit et in vers. alex. et in libro Reg. reliquias deprehendi textus libri Jer. antiquioris, levitas ipsius opinionis Moversii convinci non possit, etiamsi quae is de singulis Jer. locis in altera commentationis parte disseruit non omnia sint probanda. De hac igitur re jam disputandum esse nobis persuasimus.

Cap. III.

De Jeremiae cap. 52. et libri 2 Reg. cap. 25.

§. 9.

Moversius in viginti fere locis textum lib. Reg. capit. 25., quod paululum mutatum Jer. c. 52; 40; 8.9; 41, 1. 2. legatur, consentire dicit cum versionis lectionibus a codice hebr. discrepantibus. Contra quod bene monuit Kueperus, „ne quis viginti illos locos non in uno Jeremiae nexu, sed tribus capitibus deprehendi omittat.“ Nam quum et Jer. c. 52. et 2 Reg. c. 24, 18 seq. narrentur Hierosolymae sub Zedekia rege expugnatae, respondent quidem Jer. capit. 52. versibus 1—3 versus 2 Reg. c. 24, 18—20, respondent Jer. c. 52. versibus 4—27 versus 2 Reg. c. 25. 1—21, respondent Jer. versibus 31—34 versus 2 Reg. 27—30: sed qui Jer. c. 52, 28—30 legitur census Israëlitarum Babylonem in captivitatem abductorum, ejus loco in lib. Reg. inserta est Gedaljae historia e Jer. capp. 40. et 41. sumpta. Quo factum est ut e tribus Jer. capitibus Moversius illius consensus exempla proponeret.

Praeterea monendum est, Moversium, ut consentiret libri Reg. c. 25. textus hebr. cum textu gr. Jer. c. 52, duobus locis effecisse conjectura: nam 2 Reg. c. 25, 4 addidit עַמְּךָ לְפָנֶיךָ מֶלֶךְ, et v. 8 substituit pro עַבְדָּךָ מֶלֶךְ. Quum autem id ipsum quaereretur, in Jer. textu recensendo interpretine alex. magis credendum esset an viris Masorethis, ipsi librorum Regum interpreti alex. non erat major auctoritas bona fide tribuenda, quam lib. Reg. textui masorethico. Quae quum ita essent, ea de causa quod libri 2 Reg. interpres alex. scripsit ἐξηλθον vox οὐτις non erat addenda: non minore enim verisimilitudine potuit id vocabulum ab interprete additum judicari. Deinde pro עַבְדָּךָ מֶלֶךְ non substituendum erat עַבְדָּךָ לְפָנֶיךָ מֶלֶךְ ob eam causam quod in libri 2 Reg. textu gr. legitur ἐστὸς ἐνώπιον βασιλέως: fortasse enim his verbis interpres vocem נָבָע circumscribendo interpretatus est. Itaque hos quidem locos Moversius, quum in 1. Reg. reliquias Jer. textus antiquioris a LXX exhibiti deprehendi contenderet easque gravissimas, ad confirmandam hanc sententiam proponere non debebat.

Neque praetermitti potest, Moversium non solum conjectura effecisse, ut 2 Reg. c. 25, 8 textus hebr. consentiret cum textu gr. Jer. c. 52., sed etiam, ut Jer. c. 52. textus hebr. dissentire videretur et a textu graeco et a 2 Reg. c. 25 hebr., pravam adhibuisse interpretationem. Nam ab interpolatore aliquo, quum is vocibus מֶלֶךְ עַבְדָּךָ לְפָנֶיךָ significari nesciverit ob eamque causam Nebucadnezarem, etsi Hierosolymas nunquam venerit, ipsum ibi adfuisse opinatus sit, vocem וּרְשָׁלָם statuit paepositione ב addita formaque participii נָבָע cum forma perfecti נָבָע commutata relatam esse non ad vocem נָבָע (venit Nebusara-

danus..... Hierosolymas), sed ad voces עַמְּדָה לְפָנָי (qui stetit coram rege Hierosolymis); quod Mov. ob eam causam statuendum esse putat, quod verbum נִאֶת non cum praepositione בְּ, sed cum accusativo conjungi soleat. Sed cum Hitzigio, ut credibile esse negamus tantum in errorem quemquam incidere potuisse, ita contendimus praepositionem בְּ sine ulla difficultate cum verbo נִאֶת conjungi posse (cf. Jer. 36, 9; Jes. 19, 23). Formam autem perfecti נִאֶת Hitzigius, quoniam participium נִאֶת hoc loco sine articulo esse non possit, bene demonstrat non solum non offendere, sed etiam esse necessariam.

Restat ut consensus exemplum e Jer. c. 52, 17 propositum nullius momenti esse demonstretur. Quod enim interpres לֹבֵית יְהוָה non vertit „apud domum Jehovae“, sed ἐν οἴκῳ κυρίου (in l. Reg. בֵּית יְהוָה) inde, quum eum in praepositionibus aequa atque in aliis verbis singulis vertendis haud raro variis de causis a textu hebr. recessisse, ob eamque causam varias lectiones esse caute admittendas supra demonstratum sit, non est cum Moversio colligendum, in codice alex. hebr. non לֹבֵית, sed בֵּית fuisse scriptum. Qua de re non inepte Kueperus, ignorantis fortasse interpretis esse, quod in templum columnae transferantur.

Reliquis vero Jer. c. 52. locis a Mov. propositis versionem aiex. contra textum mas. cum 2 Reg. c. 25. consentire, non modo concedimus, sed etiam, quum is consensus interpretis neque negligentiae festinanteve, neque errori possit tribui, ullo modo Moversii duplicitis recensionis sententiam refelli posse negamus, nisi confirmetur, omittendi studio textum in iis de quibus agitur locis ab illo in brevius esse contractum. Qui consensus qualis sit quo facilius intelligatur, locos ita subscribemus, ut, quae non nisi in Jer. c. 52. hebr. leguntur, hebraicis, quae in unoquoque textu leguntur, latinis, quae in Jer. textu et hebr. et gr. leguntur, dissentiente 2. Reg. c. 25, graecis vocabulis indicemus.

Legitur autem Jer. c. 52, 6 (cf. Reg. c. 25, 3): בְּחַדְשֵׁת הַרְבִּיעֵשׁ die nono fames in urbe ingravescebat . . . — v. 7. (Reg. v. 4.): et omnes milites מִהָּעֵד נִקְרָאֲנָה noctu per portam, quae fuit . . . ; — v. 9. (Reg. v. 6.): et deduxerunt eum Riblam בְּאָרֶץ חַמָּה; — v. 16. (Reg. v. 12.): tenues quosdam de plebe homines reliquit נְבוּרָאָן, magister satellitum.

His quatuor locis vers. alex. et lib. Reg. dissentientes a Jer. c. 52 hebr. inter se consentiunt. Reliquis enim in locis a Mov. e 2 Reg. c. 25, 22—26 notatis liber 2 Reg., quum hi versus pariter atque census Israëlitarum Jer. c. 52. hebr. exhibitus in Jer. c. 52. textu gr. desint, consentit cum versionis alex. non capite 52. sed cum capitum 40. et 41. verbis iis, ex quibus lib. Reg. c. 25. versus 22—26 sunt desumpti. En consensum illum. Jer. c. 40, 7 (cf. Reg. c. 25, 23): et omnes duces exercitus (gr. τῆς δυνάμεως) τῆς ἐν ἀγρῷ, αὐτοὶ καὶ οἱ ἀνδρες αὐτῶν, audiverunt, regem Babyloniae Gedaljam, terrae praefecisse; — v. 8. (Reg. v. 23): venerunt ad Gedaljam Mizpam et Ismaël, filius Nethanjae נְתָנְיָהּ et Jochanan, Karechi filius (Jer. hebr. filii) et Seraja etc.; — v. 9. (Reg. v. 24): et jurejurando Gedalja, בֶן אַחֲרָקִם בֶן שְׁבַע eis et viris eorum confirmavit dicens: Ne timeatis מַעֲבָדֵת הַבְּשָׂרִים (LXX et Reg. c. 25 hebr.: ἀπὸ προσώπου τῶν παιδῶν τῶν Χαλδ. i. e. מעבדי הבשדים; — c. 41, 1. 2 (Reg. v. 25.): mense septimo venerunt Ismaël, filius Nethanjae, qui fuit filius Elisamae, e stirpe regia וּרְבֵי הַמֶּלֶךְ et decem viri et necayerunt Gedaljam בְּנְאַחֲרָקִם בֶּן שְׁבַע בְּחַרְבָּן; — v. 3. (Reg. v. 25): qui erant cum eo אֶצְדָּנָה לְחוּא Mizpae.

Ex quibus ut concludat, interpretem ea, quae in vers. alex. pariter atque in 2 Reg. c. 25, desunt, in codice hebr. non legisse, Moversius primum, ne quis illum exemplari suo relicto librum Reg. secutum esse dicat, demonstrat nonnulla in vers. alex. cum verbis textus mas. convenire, dissentientibus lib. Reg. locis simillimis (cf. locos infra §. 12. citatos.) Deinde omnia ea, quibus Jer. c. 52. textus gr. una cum 2 Reg. c. 25. dissentiat a Jer. c. 52. hebr. non ab ipso propheta scripta, sed addita esse ab interpolatore aliquo, rationibus confirmat hisce: primum in libri Jer. locis iis, quibus cognomina vel majorum nomina reperiantur, quae et in vers. alex. et 2 Reg. c. 25. desint, neglectam esse legem in omnibus V. T. libris observatam, ex

qua in oratione vulgari historica nomen proprium cum cognomine vel titulo initio quidem cujusque narrationis conjungatur, narratione autem progrediente, nisi gravius et copiosius dicere malint scriptores, solum nomen admittatur. Quam legem nisi a posterioris aetatis scriptoribus violatam non esse. Deinde Jer. 52, 6 voces „mense quarto“ e simili loco c. 39, 2 adscriptas deprehendi, sicut saepissime in Jer. textu hebr. legendo fiat, u quaedam inveniantur ex locis similibus addita. Porro v. 7. additamentis „fugerunt“ et „ex urbe“ textum hebr., id quod saepe factum sit, amplificatum esse. Versus autem 28—30, qui et in vers. alex. et in lib. Reg. desint, et ex annorum Nebucadnezaris computatione dissentiente a vulgari quae eadem hoc in capite v. 12. inveniatur, et e falso captivorum numero insitios esse intelligi. Deinde capite 40, 8 ut multis aliis in locis inveniri vitiosam ejusdem verbi repetitionem; item c. 41, 1 lectionem marginalem „et duces regis“ verba praecedentia „e stirpe regia“ perperam explicantem textui additam esse.

Haec igitur textus antiquioris et ab interprete alex. et a libr. Reg. auctore exhibiti vestigia esse Moversius dicit. Qui idem eo audaciae progreditur ut Jeremiae capituli 52. textum contendat capiti 25. lib. Reg. olim ita respondisse, ut tunc, utrum Jer. caput 52. an ultimum libri Reg. esset antiquius, non potuerit decerni.

§. 10.

Quam contra sententiam Kueperus ita disputavit, ut „in ceteris Jer. c. 52. locis minime omnia alia in versione cum textu hebr. et libri Jer. et libri 2 Reg. convenire“ sed „diversitates versionis gravissimas a textu Reg. et Jer. consentienti deprehendi“ demonstraret, contenderetque, qui esset iis in locis ubi textus hebraici inter se discrepant versioni cum libro 2 Reg. consensus, ejus exempla a Moversio recte proposita ad sensum esse nullius fere momenti. Textus enim mas. Jer. c. 52. verba ea deesse, quae, quia repeterent res modo relatas, sensu salvo omitti potuissent. Id neque in versione mirum esse propter ejus indolem, neque esse in libro 2 Reg., ubi ipso Moversio teste breviores lectiones ubique deprehenderentur. Quo modo facile fieri potuisse, ut Jer. textum quam maxime contrahens interpres quatuor illis locis cum textu libri 2. Reg. breviore casu consentiret, quum pluribus aliis locis longe ab eo discederet. Neque ad comprobandum hanc sententiam omittendum esse, quod, ubicunque libri Jer. lectiones fusiores essent, libri 2 Reg. loci ita conformati essent, ut „e fonte in compendium contracti viderentur“, ubicunque autem altera lectio esset difficilior, libri Jer. lectio discrepantiis libri 2 Reg. ansam dedisse videretur. Quae quum ita essent, tametsi c. 52. variis ex causis non ab ipso Jeremia conscriptum videretur: tamen locum principem non posse in libro 2 Reg. statui, commutationumque eandem et versionis et libri 2 Reg. ponendam esse rationem.

Praeclare quidem haec omnia Kueperus; sed vereor, ut Moversii sententia iis ita sit refutata, ut jam nemini possit videri probabilis. Casu enim statuit K. factum esse ut, eodem contrahendi studio quum uterque duceretur, interpres cum lib. 2. Reg. auctore interdum consentiret. Atqui Mov. id ipsum negat casu effectum esse consensum. Itaque Kueperi rationes, etsi sunt gravissimae, ad refutandum Mov. non sufficiunt.

Accuratus quidem Wichelhausius de Moy. rationibus ex locorum indole petitis disseruit, at non in ea commentationis parte, quam de antiquioris breviorisque textus fragmentis scripsit. Nam is ita fere disputatione. Primum capitibus Jer. 52. hebr. et 2 Reg. 25. collatis textum libri Jer., qui lectiones „difficiliores ergo veriores“ ubique exhibeat, textum esse principem argumentis maxime ex parte jam ab Hitzigio allatis demonstrat. Deinde postquam examinavit, quomodo „copiosa ac lata Jeremiae oratio“ a libri 2 Reg. auctore coarctata esset laudavitque eum quod non ad lubidinem „exclusisset vel amputavisset“, sed convenienter instituto suo et pro hebr. orationis genio, pergit his verbis¹: „At multo majore non libertate sed licentia usus est interpres graecus; qui quum Jeremiae dictionem existimaret nimis scrupulosam accuratam remissam

¹ Cf. p. 61.

et verbosam esse, omisit saepenumero vel ex duobus versibus unum,⁴ seqq. Quod Wichelhausium non tam confirmando, quam affirmando posuisse apparet. Itaque idem ipso eo loco, ubi de internis quas dicit rationibus disserturus est, falli Moversium, quod vestigia aliquot indagasse voluerit textus hebr. antiquioris et purioris, jam satis eosque demonstrasse sibi videtur. At a rationibus ex indole locorum petitis, quoniam iis potissimum Moversius textus antiquioris sententiam confirmavit, hanc disputationem putamus fuisse ordiendam. Quae quum ita sint, nos, praesertim quum nec Kueperus nec Wichelhausius Moversii argumentationem rationemque omni cogitatione pertractaverint, argumenta quo ordine hic proposuit eodem jam percensebimus.

Ut igitur ad regulam illam transeamus, quam patefecisse Mov. sibi videtur, mittamus ad tempus quod dixit, ubique exempla esse obvia. Nam quum ne in iis quidem capitibus, de quibus nunc agitur, is sit cognominum titulorumque usus, ex quo recte Moversium de ea re disputavisse possit colligi, ab his capitibus ordinendum videtur. Explicat autem Mov., 2. Reg. c. 25. postquam praemissae sint voces „Nebusaradanus satellitum princeps“, tum verss. 10. 12. 18. 20. sequi voces „satellitum princeps.“ Sed versus 20. non erat adjungendus: nam legitur 2 Reg. c. 25. in textu et hebraico et graeco „Nebusaradanus satellitum princeps.“ Idem v. 11. legitur. Miramur, quod Mov. id missum fecit. Nam si putavit, v. 11. nomen Nebusaradani additum esse, quo major narrationi vis inesset, non praetermittendum erat silentio. Sed id nimirum affirmare noluit, quoniam procul dubio v. 11. major vis in narratione non inest, quam, ut exemplum afferam, versu 18., ubi omisso nomine Nebus. legitur „satellitum princeps“, quamquam auctor verss. 16. et 17. quodammodo ad alias res transiit. Ex duobus igitur versibus 11. et 20. intelligitur, regulam eam, qualem quidem Mov. posuerit, 2 Reg. c. 25. non observari. At Mov., exemplis e 2 Reg. c. 25. allatis, quasi id satis jam probaverit, quod erat ei demonstrandum, sic pergit: „Ille vero, qui textui hebr. Jeremiae retractando operam dedit verborumque turba mire delectatus est, hanc regulam in omnibus V. T. libris observatam contemnens, in eadem orationis serie modo nomen solum, modo, et quidem plerumque, nomen cum cognomine vel titulo conjunctum posuit, discrepante textu alex., in quo hoc praeceptum accurate tenetur.“ Quod qui legerit, exspectabit, Moversium cum lectionibus modo citatis collaturum fuisse lectiones illas, quae in Jer. c. 52. hebr. eis respondent. At contra Jer. c. 52. hebr. lectiones omnino praetermisit exemplaque e Jer. capp. 40—43 tantum attulit. Nam si Jer. c. 52. lectiones hebr. eas, de quibus nunc agitur, cum textu gr. et cum 2. Reg. c. 25. contulisset, concedendum ei fuisset, in Jer. c. 52. hebr. unius tantum versus 16. lectionem a textu et versionis alex. et capit. 25. lib. 2. Reg. discrepare. Quapropter quum Moversium hue usque appareat parum religiose accurateque exempla attulisse, cavendum est, ne cui illum recte de cognominum titulorumque usu disputavisse persuadeatur, praesertim quum iis quoque cognominibus quae Jer. capp. 40—43 sunt obvia error Moversii convincatur.

Primum enim dicit c. 40, 5 legi in vers. alex. initio narrationis nomen *Τοδολίας* conjunctum cum cognomine *νιὸς Ἀχεικάμ*, *νιοῦ Σαράν*; deinde vero narratione progrediente legi solum nomen *Τοδολίας* sine cognomine verss. 6. 7. 8. 9. 12. 15. 16; c. 41, 1, 2; tum post narrationis digressionem legi nomen cum cognomine *νιὸς Ἀχεικάμ* conjunctum, c. 41, 10; 43, 1. Sed silentio praeterit Mov. quod series versuum, ubi legitur solum nomen *Τοδολίας*, interrupitur v. 11., in quo obviam sumus cognomini *νιὸς Ἀχεικάμ*, narrationis digressione v. 10. non inventa. Deinde nescio quo casu factum sit ut diceret, Gedaljam in textu hebr. „sine ullo discrimine semper“ appellari Gedaljam, filium Ahikami, filii Saphanis, vel Gedaljam, filium Ahikami, quum quatuor versibus (c. 40, 8. 12. 13. 15.) Gedalja sine ullo cognomine commemoretur. Reliqua autem Moversii exempla missa facere placet, quoniam ex iis, quae huc usque exposita sunt, intellegitur, praeceptum illud, quod detexisse Movers. sibi visus est, neque in vers. alex. textuque 2 Reg. c. 25. tam accurate observari, ut ipse persuasum habet, neque in Jer. c. 52. hebr. ita violari, ut nobis persuadere vult.

Sed alii nonnulli V. T. loci praeterea percensendi sunt, ut quid de Mov. regula statuendum sit di-
judicetur. Putat enim M. exempla ubique esse obvia idque exemplis e lib. 2 Reg. c. 19, 2. 5. 6; 20, 1
seqq. et e 2 Sam. c. 7, 2. 3. 4. 17 et e 2 Sam. c. 24, 11. 13. seqq. desumptis confirmat. Ex quibus quum
intelligatur, esse V. T. locos, quibus illa lex revera obvia sit, concedimus quidem non inepte ad confirman-
dam sententiam delectos esse locos, tamen ubique exempla obvia esse negamus. Inspicientibus enim, ut pauca
afferamus, in libri Josuae caput 14., non solum v. 6., sed etiam v. 7. cognomen cum nomine Mosis con-
junctum offertur, v. 6. cognomen „vir Dei“, v. 7. „servus Jehovae“; cf. Calebi cognomen „filius Jephunnae“
vv. 6. 13. 14. et Mosis cognomen „servus Dei“ in eodem capitio 12. versu 6. repetitum. Capite autem
primo lib. 1 Reg. voces „Nathan propheta“ leguntur versibus 8. 10. 22. 23. 32. 34. 38. 44. 45; uno v.
11. legitur „Nathan“; voces „Zadock sacerdos“ invenies in ejusdem capitio versibus 8. 26. 32. 34. 38.
39. 44. 45.; solum nomen Zadock ne in uno quidem versu legitur. Quibus et aliis quae enumerare possum
exemplis (cf. Jos. c. 22, 13. 31. 32.) quum probetur, in oratione vulgari historica cognomina vel titulos non
solum narrationis vel initio vel post digressionem nominibus adjici, sed etiam modo in eodem versu repeti
modo in eodem capite ubique fere poni modo in versibus sese excipientibus iterari: intelligitur cavendum
esse, ne nimium Moversii regulae tribuatur. Atque sunt praeterea loci, quibus rarius quam pro regula Mo-
versii cognomina vel tituli reperiuntur. Nam Mosis et Aaronis quidem nomina, ni fallor, nusquam totius
Pentateuchi cum cognominibus sunt conjuncta. Neque Josuae cognomini „filius Nunis“ pro M. regula ob-
viam simus. Nam postquam Exod. c. 17, 9. 10. 13 14; 24, 13; 32, 17. ubique solum nomen Josuae scri-
ptum est, tandem c. 33, 11 legitur: „Josua, filius Nunis“, cf. Num. c. 11. 28., neque ante caput 13.
libri Numerorum, ubi Josua v. 13. appellatur „Hosea, filius Nunis“, memoriae proditum est nomen Hoseam (Hosאם)
per Mosen commutatum esse nomine „Josua“ (יֹשֻׁעָה). Inde ab hoc autem loco fere ubique Pentateuchi
legitur: „Josua, filius Nunis“ (cf. Num. c. 14, 6. 30. 35; 27, 18 [v. 22. „Josua“]; 34, 17; Deut. 31, 23.
[v. 7. „Josua“]; 34, 9; in libro Josuae autem, ni fallor, his tantum locis: c. 1, 1; 2, 1. 23; 6, 6; 14, 1;
21, 1; 24, 29, ut in libro Josuae plerumque inveniatur solum nomen Josuae.

Sed haec hactenus. Satis enim ex his intelligitur, Moversii praeceptum, etiamsi sint V. T. loci qui-
bus observatum sit, tamen minime ubique tam accurate teneri, ut, si in libr. Jer. major sit cognominum fre-
quentia, vel oporteat vel liceat certe, quae cognomina superflua videantur, ea ab interpolatore aliquo addita
censere. Varius enim non solum in aliis, sed interdum etiam in eodem libro cognominum usus est, prout
vel rerum natura vel personarum dignitas vel consuetudo vulgaris vel alia quaevis causa postulavit. Itaque
si per loci naturam licebat, in ipso Jer. libro regula Mov. observata est, cf. c. 37, 13. 14. seq.; 38, 1. 6. 7.
seq. Accedit quod, quamvis in Jer. libro cognominum titulorumque usus inveniatur a ceteris V. T. libris
alienus, quamvis prophetae oratio non sit ornatissima, sed laboret aliqua verbositate, non tamen continuo
id interpolatori tribuendum est, nisi antea Jeremiam sic scribere non potuisse argumentis firmissimis erit
confirmatum. Atqui ejusmodi argumenta a Mov. allata esse funditus negamus.

§. 11.

Primum enim demonstravit, esse in Jer. textu hebr. cognominum majorem frequentiam, quam in
aliis V. T. libris. Quod quidem concedimus. At eam non Jeremiae, sed interpolatori alicui tribuendam esse
non consequitur per se, sed demonstrandum erat. Nam quod eadem cognomina, quae superflua videntur, in
versione alex. desunt, pro argomento afferri non debebat, quoniam id ipsum quaeritur, interpresne ea non
legerit an consilio omiserit, quum aliis quoque in libris cognomina in textu hebr. obvia in vers. alex. desint,
cf. Jos. c. 1, 15; 7, 18; 12, 6. Quid autem? nonne Mov. demonstravit, versionis alex. et capitio 25. lib.
2 Reg. lectiones esse meliores? Id quoque aliquatenus concedimus. Non enim infitiamur, propter cogno-

minum frequentiam Jeremiae genus dicendi non esse aequa expeditum fusumque atque in aliis V. T. libris. Sed tamen, cur tale dicendi genus non poterat Jeremiae esse proprium? Negat quidem Mov., fretus imprimis titulo „propheta“, quippe qui, exceptis paucis Habakukii Haggaji Zachariae locis, in nullo unquam prophetarum libro legatur, in Jeremiae autem libro frequentissime scriptus eam redoleat aetatem, qua Jeremias jam prae ceteris (*καὶ ἔσοχήν Mov. dicit*) „propheta“ sit appellatus. Contra quod primum dicimus, Jeremiae sicut multis prophetis jam ab aequalibus titulum נָבִיא i. e. ὁ πρόφητης esse tributum; cf. Jer. 38, 9. 10. Hanc sententiam qui probare nolint ea de causa, quod a loco citato vers. alex. discrepet, ii hoc certe loco controversia nondum composita quodammodo ante dictam sententiam textui mas. omnem abrogent fidem, versionique alex. eam tribuant auctoritatem, ut nullam textus mas. lectionem probent, nisi quae consensu versionis alex. confirmetur. Quibuscum qui non consentiant, quoniam jure ii, quum Nathan et a Bathseba et a Davide et a Jonathano „Nathan propheta“ appellatus sit 1 Reg. 1, 23. 32. 34. 44. 45. (cf. 14, 2.), contendant Jeremiam ab aequalibus „Jeremiam prophetam“ appellari non potuisse, sed potuisse demum a posteritate, cui is prae ceteris propheta appellatus sit? Accedit quod ex c. 28, 1 colligitur etiam Hananjam, quamquam pseudopropheta fuit (ut interpres interpretando vertit), cognomine הנביא esse appellatum.

Quamquam igitur dubitari nequit, quin Jeremias ab aequalibus נָבִיא non solum appellari potuerit, sed etiam sit appellatus, tamen quispiam ab ipso propheta titulum נָבִיא nomini Jeremiae additum esse neget cum Moversio, quoniam ante Habakukium Haggajum Zachariam hunc titulum ipse sibi adscriperit prophetarum nemo. Qua in re mittimus, utrum capita historica Jes. 36—39, ubi ter legitur „Jesaias, filius Amoz, propheta“, a Jesaia sint scripta, necne. Sed si qui etiam nunc a Moversio stent, iis pro ipsa hac sententia concedendum sit, Jeremiam locis his certe: Jer. c. 42, 2; 43, 6; 45, 1; 51, 59. ipsum scripsisse „Jeremias propheta“: nam in iis etiam versio vocem ὁ πρόφητης exhibet. De ceteris autem locis, quibus titulus „propheta“ exstat, cum Wichelhausio statuimus, nunquam vim quandam non esse hac appellatione expressam. Id quam verum sit, appareat imprimis e c. 28., quo potissimum capite omnino intelligere non possum cur titulus saepe repetitus Moversio et Hitzigio fuerit offensioni. Nam haec appellatio, si ulla in ea vis inest, nomini Jeremiae, quum Jeremiae tempore minime esset inusitata, in hoc ipso capite erat adscribenda. Quod quo facilius intelligatur, explicandum nobis est quod viros illos doctissimos plane fugit, quomodo caput 28. cum capite 27. cohaeret. Atque Jeremiam legimus c. 27. Deo jubente juga cum loris fecisse eorumque unum collo suo imposuisse, reliqua vero misisse ad reges Edomitarum Moabitarum Ammonitarum Tyri et Sidonis per legatos eos, qui ad Zedekiam, Judaeorum regem, Hierosolymas venissent. Quibus prophetam mandavisse, ut nomine Jehovah omnipotens, Dei Israëlis, dominis dicerent, omnes terras a Jehovah, creatore terrae, traditas esse Nebucadnezari, Babyloniae regi, ministro suo. „Quae autem gens“, inquit, „vel quod regnum, ne serviat Nebucadnezari, Babyloniae regi, resucaverit, in illam gentem gladio fame pestilentia animadvertisca“. Insolitum vero inauditumque oraculum ac plane alienum a mendaciis prophetarum eorum, de quibus Jeremias et illis regibus et Zedekiae haec dixit: „Ne credatis prophetis, qui vos regi Babyloniae servituros esse negant. Metiuntur. Non misi eos, inquit Jehovah; sub nomine meo falsa vaticinantur“ (i. e. prophetae non sunt). Quibus aliisque id genus capite 27. praemissis, Jeremias c. 28. narrat, eo ipso anno Hananjam prophetam ad se venisse atque in templo coram sacerdotibus multisque aliis de plebe hominibus dixisse, Jehovah omnipotentem, Israëlitarum Deum, haec praedicere: „Fregi jugum regis Babyloniae seqq.“ Tum eum jugum a Jeremiae collo detractum confregisse coram magno hominum coetu dicentem: „Haec Jehovah promittit: ita a collo omnium istarum gentium jugum Nebucadnezaris regis Babyloniae intra biennium frangam.“ Quae quum ita sint, nullo modo concedi potest, titulum Jeremiae נָבִיא hoc in capite saepius re-

petitum esse, quam qui ferri possit; immo vero, quamvis redeat ad Hitzigii taedium, videtur tamen esse prorsus necessarius. Hananja enim tamquam propheta vaticinatus erat; itaque non Hananja Jeremiae, vir viro, sed prophetae opponitur propheta. Quam ab causam v. 5. scribitur: et respondit Jeremia propheta Hananjae prophetae: „Sit ita, faciat haec Jehova, impleat dicta tua. Si propheta fausta et fortunata vaticinatur, ex eventu intelligitur, eum verum prophetam esse et a Deo missum.“ Quum vero propheta prophetae non solum loquendo repugnaverit, sed etiam agendo, et alter alterum pseudoprophetam dixerit, narratio praecclare sic progreditur (v. 10.): „Tum Hananja propheta jugum detraxit a collo Jeremiae prophetae et confregit.“ Quae res nullo in numero esset, si homo alius quis homini nescio cui jugum a collo detractum fregisset: plurimum valuit, si propheta prophetae repugnavit. Deinde vero v. 11., ubi nomen „Hananja“ non scribitur, nisi quo facilius quod subjectum insit in vocibus „et dixit“ cognoscatur, nomini Hananjae vox „propheta“ adscripta non est. Summa autem cum gravitate appellatio „propheta“ in eodem versu ponitur, ubi memoriae proditur, Jeremiam prophetam discessisse: quibus verbis indicatur, Dei prophetam mendaciis pseudoprophetae non jam respondisse. Tum vero, ut primum nihil commemoratur, nisi Deum denuo Jeremiam allocutum esse, scribitur solum nomen Jeremiae (v. 12.), ut autem deinde indicitur, quo tempore Jehova iterum allocutus sit Jeremiam, scribitur: „postquam Hananja propheta jugum illud a collo Jeremiae prophetae detractum confregit“ (v. 12.). Quae res gravissima erat, non quod Hananja id Jeremiae fecerat, ut vir viro, sed Hananja quasi propheta Jeremiae quasi pseudoprophetae. Mirum autem non est, quod nec Deus (v. 13.) nec Jeremias (v. 15.) Hananjam appellant prophetam. Sed initio versus 15. non minus apte quam in prioribus versibus scribitur: „Jeremia propheta Hananjae prophetae dixit.“ Locutus est enim qui revera propheta erat ad prophetam, qui putabatur esse: „Audi Hananja, Jehova te non misit, persuades populo tua mendacia. Propterea haec dixit Jehova: auferam te ex hac vita, hoc ipso anno morieris, nam defectionis atque seditionis contra me auctor es.“ Tum sequitur: „Et mortuus est Hananja propheta hoc ipso anno, mense septimo.“ Gravissima vero vox, quae declarat, eum, qui et sibi ipsi visus sit propheta et ab aliis appellatus, a Deo morte coargutum esse pseudoprophetam.

Ex his autem quum appareat, in hoc quidem capite titulum „propheta“ apte repetitum esse, ne id quidem Moversio Hitzigioque concedo, ob eam quoque causam ad interpolatorem posteriorem hunc titulum referendum esse, quod formae יְרָמִיָּה et חֲנַנִּיה pro רְמִיָּה et חֲנָנִיה in capp. 27 — 29 saepissime obviae, interpolatorem redoleant¹. Quam contra sententiam multa dicere possum, sed hoc loco non est opus. Possum enim cum Wichelhausio et Kuepero dicere, et in capp. 27—29 ut nomina in וְ, ita nomina in וְ desinentia inveniri (cf. c. 27. 1. 3; 29. 21. 22. 24. 27. 29. 30), et aliis in locis scripturam וְ minime esse insolitam (cf. c. 21. 1; 26. 18; 35. 3; 36. 4; 37. 3. 13; 38. 1; 39. 14; 40. 5. 8; 42. 2. 6. 7; 52. 24.), ergo וְ et וְ promiscue scripta esse, ut non solum usus in nonnullis nominibus, velut Gedalja, Nethanja variet, sed etiam interdum in eodem versu utraque scriptura extet (cf. 35. 3; 37. 3; 36. 4.). Possum etiam cum illis obficere, initio librorum Hoseae et Amosi, prophetarum antiquissimorum, eadem regum nomina in וְ exeuntia legi, quae apud Jesaiam, prophetam illis recentiorem, in וְ finiant; possum deinde afferre, ex Moversii quoque sententia auctorem libb. Reg., quando a libris antiquioribus quos secutus sit non discedat, minime semper, sed „plerumque“ tantum וְ scribere, et monere possum, quod Moversius statuat 2 Reg. c. 18. versus 14. 15. 16. (ubi legitur חָזֵק) a scriptore aliquo recentiore esse insertos, id minime esse ab eo confirmatum. Postremo possum demonstrare, Moversium secum ipsum pugnare, quoniam pag. 4. quidem statuat „auctorem libb. Reg. majore diligentia illa vaticiniorum Jesaiae fragmenta (2 Reg. c. 16. 5; 18. 13. seq.) transscripsisse, quam editorem hujus libri posteriorem“, pag. 27. vero contendat, cap. 20 lib. 2 Reg. e libro

¹ Cf. Mov. I. c. pag. 27.

vaticiniorum Jesiae (cf. Jes. capp. 36—39.) transcriptum esse, ea autem, quae apud Jesiam non legantur, e recentiore aliquo libro esse inserta. Sed hoc quidem loco hanc quaestionem in medio relinqu satius duco. Nam etiamsi verum esset, in capp. 27—29 nomen יְרֵמִיָּה pluribus in locis recentiore tempore mutatum esse in יְרֵמִיָּה, inde minime sequeretur, titulum הַנְּבִיא a Jeremia scriptum non esse.

In locis autem his: c. 29, 1. 8. 15. 21; 36, 8. 26; 20, 2; 32, 2; 34, 6; 37, 2. 3. 6. 13; 42, 2. 4, quum similis ratio sit, cur titulus הַנְּבִיא adscribatur, longum est ea de re amplius disputare. Aliud genus est locorum c. 25, 2; 46, 1. 13; 47, 1; 49, 34; 50, 1, ubi נֶבֶל legitur in formula „et factum est verbum Dei ad Jeremiam prophetam“. Quibus in locis quis non intelligit vocem „propheta“ optime appositam esse vaticiniis adversus gentes editis? Nam bene Witchelhausius¹ „adversus gentes munus Jeremie, quo insignis est, ejusque auctoritas, qua edit oracula, commemoranda sunt“.

Ceterum negamus a Moversio satis probatum esse, Jeremiam apud posteros tantam nominis famam adeptum esse, ut non solum sit omnium prophetarum primus habitus, sed etiam ὁ προφήτης prae ceteris appellatus. Quorum ne illud quidem prorsus concesserim, hoc plane nego. Nam ex fabulis, quibus vitam ejus exornabant (cf. 2 Maccab. c. 2, 2 seq.) et ex iis quae 2 Macc. c. 15, 13 seq. leguntur, etsi colligitur summo Jeremiam honore habitum esse, tamen neque capituli 15. versu 14, ubi legitur: ὁ φιλάδελφος οὐτός ἐστιν ὁ πολλὰ προσευχόμενος περὶ τοῦ λαοῦ καὶ τῆς ἀγίας πόλεως Ἱερεμίας ὁ Θεοῦ προφήτης, neque c. 2, 1: εὐρίσκεται δὲ ἐν ταῖς ἀπογραφαῖς Ἱερεμίας ὁ προφήτης, ὅτι ἐκέλευσε κ. τ. λ., neque v. 2.: καὶ ὡς ἐνετέλλετο τοῖς μεταγενομένοις ὁ προφήτης κ. τ. λ., neque v. 5: καὶ ἐλθὼν ὁ Ἱερεμίας εὑρεν κ. τ. λ., neque v. 7: ὡς δὲ ὁ Ἱερεμίας ἔγνω κ. τ. λ., articulus is est, quo indicetur, Jeremiam prae ceteris prophetam esse appellatum. Nam cuicunque prophetae titulus נֶבֶל in V. T. tribuitur, articulus non deest. Graece autem quoniam alio modo illis locis scriptor loqui potuit? In omnibus igitur locis illis nihil inest, quod non in ceteros quoque prophetas cadat.

Si autem Jeremias revera ita omnium prophetarum primus esset habitus, ut eum prae ceteris prophetam nominarent, atque opinarentur eum tamquam illum prophetam, quem Moses Deut. c. 18, 15 vaticinando significavisset, in fine saeculorum redditum: quomodo fieri potuit, ut propheta ille, qui aequalis fere fuisse videtur Nehemiae eidem, quem Moversius supremam Jer. libro manum imposuisse statuit, Maleachium dico, vaticinaretur:² „Ecce ego missurus sum vobis Eliam prophetam (נֶבֶל אֶלְيָה) antequam veniat dies Jehovahe maximus et reverendus.“ Hoc idem Eliae nomen in evangelio Joh. c. 1, 21 primo loco positum difficultatem haud parvam affert contendenti, hoc loco appellatione „ὁ προφήτης“ neminem significari nisi Jeremiam. Nam si quis veterum prophetarum hoc loco prae ceteris ὁ προφήτης appellaretur, is certe primo loco positus legitur. Quocirca mihi quidem Meyerus recte interpretari videtur vocem ὁ προφήτης statuens hoc loco idem fere significare quod Luc. c. 9, 7. 8. voces προφήτης εἰς τῶν ἀρχαίων. Quibus vocibus intelligi, veterum prophetarum unum a multis Judaeis ut prodromum Messiae exspectatum esse, itaque ὁ προφήτης explicandum esse: propheta is qui exspectatur, quisquis is est. Moversius autem ne obiter quidem hanc rem attingit, neque ullis argumentis confirmans, Joh. c. 1, 21 voces ὁ προφήτης referendas esse ad Jeremiam, hac ipsa sententia res gravissimas fulcit, quasi illud inter viros doctos hanc rem persecutos nulla sit unquam in dubitatione versatum.

Quodsi ex iis quae disseruimus appareat, et Jeremiam quatuor certe locis nomini suo ipsum adscripsisse titulum נֶבֶל, et ceteris in locis vim quandam huic appellationi inesse, nec locis e libris Maccab. et ex ev. Johannis allatis satis probatam confirmatamque esse Moversii sententiam de honore Jeremie post mortem tributo: conficitur, qui vocem ὁ προφήτης, ubi in vers. alex. nomini Jeremie adscripta non legatur,

¹ I. c. pag. 71. — ² c. 3, 23.

ibi a Jeremia scriptam esse negent, eos alio fundamento niti non posse, nisi versionis auctoritate. Quo fundamento si in hac quaestione solo niti liceret, nullis Moversio disputationibus opus fuisse. Itaque quum Moversium de titulo **הַנְבִיא** recte disputavisse concedi non possit, illud quoque manet quod supra diximus, Moversium minime luculenter probavisse, cognomina capitis Jer. 52. ea quae et in textu gr. et in c. 25. libri 2 Reg. desunt, a Jeremiae scripta non esse. Qua de re ut dijudicaretur, rationibus firmioribus opus fuit.

§. 12.

Sed Mov. tantum abest ut nova quaedam argumenta proponat firmiora, ut sententia de cognominibus ac titulis proposita de ceteris capitulis 52. discrepantiis disputet, quasi ad liquidum jam produxerit, et interpretationem graecum et auctorem libb. Reg. editione antiquiore quam nostra hebr. esse usos. Nam sic pergit: „Aliae quoque lectiones, in quibus textus vaticiniorum Jer. a libro Reg. discedit, non singulae apparent, sed indolem Hebr. recensionis prae se ferunt, quae autem in textu libri Reg. cum LXX consentiunt, originem suam ex editione antiquiore satis produnt.“ Itaque jam fretus auctoritate versionis de vv. 6. 7. 28—30; c. 40, 8; 41, 1 ita disputat, ut supra (p. 22. 23.) indicavimus.

Quos locos quod tam obiter tetigit Mov., non ab hanc solam causam reprehendimus, quod argumenta antea ab eo proposita nobis sunt rejicienda. Nam etiamsi omnia probaremus, quae de cognominibus titulisque disputavit, tamen Jer. c. 52. hebr. et cum LXX et cum lib. 2 Reg. c. 25. Moversio quam accuratissime conferendum fuisse putaremus. Nam diligens trium horum textuum collatio magnae utilitatis est, ut quae sit eorum ratio ad liquidum perducatur. Quod a Moversio intermissum esse valde miramur, praesertim qui contendat, eo tempore, quo libri Reg. a Jeremiae vaticiniis sejuncti sint ultimo capite suo loco relicto, Jer. caput 52. cum 2 Reg. c. 25. ita consensisse, ut, utrum Jer. c. 52. an ultimum libb. Reg. esset antiquius, e sola scriptura haud potuerit decerni.

Quam sententiam fictam atque vanam esse facillimum est confirmare. Nuilo enim modo video, qui post exsilium forma aramaica שָׁנָה (Reg. v. 29.) mutata sit in שָׁנָה (Jer. v. 33.), — vel forma נִבְכָּרְנָצָר (Reg. vv. 1. 8. 22.), quae semper legitur in libb. Reg. (cf. c. 24, 1. 11. 12. et in libro 2 Chron. c. 36, 6. 7. 10.) in formam antiquorem נִבְכָּרְנָצָר, quae vicies apud Jer. legitur, — vel forma קָלָא (Reg. v. 27.) in libb. Reg. alibi quoque obvia (cf. 2 Reg. c. 17, 14; 22, 27) mutata sit in formam rariorem קָלִיא (Jer. v. 31; cf. c. 37, 4); — vel verba בְּשָׁנָה מְלָכָת (Reg. v. 27.) in verba בְּשָׁנָה מְלָכָת (Jer. v. 31.), — vel voces דְּבָרָם שְׁפָט (Reg. v. 6.) in voces rariores דְּבָרָם שְׁפָט (Jer. v. 9.), — vel מְלָכָת (Reg. v. 12.) in pluralem מְדָלוֹת (Jer. v. 15.), vel lectio הַנְּרוֹל וְאֶחָד־כָּלְבִּיתָה (Reg. v. 9.) in lectionem difficiliorem הַנְּרוֹל וְאֶחָד־כָּלְבִּיתָה (Jer. v. 13.). Quibus in locis quum Jeremiae textus antiquorem vel minus usitatam vel difficiliorem exhibeat scripturam, negamus Jer. caput 52. initio plane consensisse cum 2 Reg. c. 25., postea vero commutationibus factis diversum exstitisse. Si enim libri 2 Reg. lectiones citatae olim in Jer. c. 52. inventae essent, non fuisse cur ab illis posteriore tempore recederetur.

Quum igitur hac Moversii sententia rejecta negari non possit capita Jer. 52. et 2 Reg. 25. non ab eodem auctore scripta esse, hoc quoque concedendum est, omnia ea, quae in Jer. c. 52. et hebr. et gr. leguntur, etsi in Reg. c. 25 vel desunt vel aliter leguntur, ab ipso tamen hujus capitulis auctore nec vero ab interpolatore aliquo esse profecta. Quae jam ita subscribemus, ut Jer. capituli 52. hebr. et gr. consensum graecis vocabulis indicemus. Legitur autem Jer. c. 52. hebr. et gr. v. 4.: καὶ περιεχασκόσαν; inepte quidem interpres vertit, indicavit tamen se legisse ων, non ων (Reg. v. 1.); — v. 7.: καὶ ἐπορεύθησαν, Reg. v. 4. Κλι i. e. et itum est; — v. 10.: καὶ ἐσφαξε βασιλεὺς Βαβυλῶνος τοὺς νίοντας Σεδεκίου καὶ δραλμοὺς αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς ἀρχοντας Ιούδα ἐσφαξεν ἐν Λεβλαθά (hebr.; interpres vitio oculi γ literam commutavit cum γ litera); — v. 11.: καὶ ἐδωκεν αὐτὸν εἰς οἰνίαν μύλωνος, ἦν δὲ ἡμέρας ἡς ἀπέθανε, Reg.

v. 7. haec verba desunt; — v. 12.: *δεκάτη τοῦ μῆνός*, Reg. v. 8.: *לְחַדֵּשׁ כָּבֵשׁ*; — v. 14.: *πᾶν τεῖχος*, Reg. v. 10. deest *כָּל*; — v. 20. textum hebr. et gr. verba haec: *καὶ οἱ μόσχοι δώδεκα χαλκοῦ ὑποκάτω* in I. Reg. v. 16. desunt; quod autem in LXX post vocabulum *ὑποκάτω* non vox *הַמִּבְנָה* i. e. „bases“ versa est sed vox *הַיּוֹם* (*הַיּוֹם θαλάσσης*), inde non conficitur, interpretem in suo codice *הַמִּבְנָה* non legisse, quum id ipsum vocabulum inveniatur in libri Reg. textu et hebr. et gr. (interp. libb. Reg. hanc vocem non vertit sed graecis tantum literis pinxit: scripsit enim *καὶ τὰς μεχωνάθας*); — v. 21. verba *καὶ οἱ στύλοι* in Reg. v. 17. desunt; item verba *καὶ σπαρτίον δώδεκα πήγεων περιεκύκλου αὐτὸν* (sc. *στύλον*)¹, *καὶ τὸ πάχος αὐτοῦ δακτύλων τεσσάρων*². Quod autem in LXX vocem *τεσσάρων* excipit vox *κύκλῳ*, cum Hitzigio non dubito quin interpretis vocem *נֶבֶב* (quae scripta est pro *נֶבֶב* i. e. et ea quidem [sc. column] erat cava) aut non intellexerit, quum ea rarius in V. T. legatur (cf. Exod. c. 27, 8; 38, 7.) aut perperam legerit commutans *נֶבֶב* *סֻבִּיב*; — v. 22: *τοῦ γείσους τοῦ ἐνός*, Reg. v. 17. deest vox *הַחֲרֵב*, quae ob eam solam causam delenda non est, quod Hitzigio superflua videtur; — ibidem legitur: *πέντε πήγεων*, in I. Reg. vero *שְׁלַשׁ אַבָּה*; ibidem textus hebr. exhibit vocem *וּרְמַנְנִים* i. e. malogranata; in I. Reg. non solum haec vox deest, sed etiam omnia desunt, quae Jer. v. 23. inde a voce *וּרְמַנְנִים* usque ad voces *עַל הַשְׁבָּה* leguntur, quae in LXX sic versa sunt: *καὶ ἡσαν αἱ ὁσιὶ ἐνεργονταῖς τῷ ἐν μέρος* (hebr. *רַקְחָה*, Hitz.: „windwärts; der Ausdruck umfasst die vier Himmelsgegenden“), *καὶ ἡσαν αἱ πᾶσαι ὁσιὶ ἐναὶ ἐπὶ τοῦ δικτίου κύκλῳ*. Quod autem LXX v. 22. loco vocis *וּרְמַנְנִים* exhibit verba *ὅπιῶ ὁσιὶ τῷ πήγει τοῖς δώδεκα πήγεσι*, ex eo intelligitur hoc quidem, interpretem in extremo versu 22. vocem *הַשְׁנִי* non legisse. Atque equidem credibile puto, interpretem haerentem in voce *וּרְמַנְנִים* illa verba adjecisse³. — v. 25.: *ἐπιὰ ἀνδρας*, Reg. v. 19. *חַמְשָׁה אֲנָשִׁים*; — ibidem: *ἐν μέσῳ τῆς πόλεως*, Reg. *בָּבֵיר*; — v. 34.: *καὶ ἐξήγαγεν αὐτὸν*, Reg. v. 27. haec desunt; — v. 34.: *παρὰ τοῦ βασιλέως Βαθυλάνος*, Reg. v. 30. *מִאֵת הַמֶּלֶךְ*; — ibidem: *ἔως ἡμέρας ἡς ἀπέθανε*, Reg. v. 30. haec desunt; — v. 31. autem, ubi in textu hebr. legitur: vicesimo quinto die, in gr.: *ἐν τῇ τετράδι καὶ εἰκάδι*, Reg. v. 27. vicesimo septimo die, cum Hitzigio statuo lectionem versionis *ἐν τῇ τετράδι* ortam esse e lectione textus hebr. Jer. c. 52., commutata *ל* litera significante „quinq̄ue“ cum *ל* litera significante „quatuor“. Itaque hoc quoque loco lectione versionis comprobatur, lectionem textus hebr. Jer. c. 52. ab ipso hujus capituli auctore nec vero ab interpolatore aliquo profectam esse.

Idem de iis locis statuendum est, quibus discrepantiae gravissimae sunt inter versionem alex. et textus hebraicos Jer. et Reg. consentientes.⁴ Desunt autem in LXX integri versus complures, qui non solum in textibus hebb. sed etiam in LXX libri 2. Reg. leguntur: Jer. c. 52, 2. 3. 15; cf. 2 Reg. c. 24, 19. 20; c. 25, 11; — v. 4. in LXX Jer. legitur: *ἐν μῆνὶ τῷ ἐνάτῳ*, Jer. hebr. et Reg. c. 25, 1: mense decimo (cf. LXX Reg.: *ἐν τῷ μῆνὶ τῷ δεκάτῳ*); — v. 8.: *ἐν τῷ πέρσεν Ιεριχώ* i. e. *בָּעָרֹות יְרֵחוֹ* (cf. 2 Sam. c. 15, 18); textt. hebb.: *בָּעָרֹות יְרֵחוֹ* i. e. in campis Jerichuntis (cf. LXX Reg. *ἐν Αραβίᾳ Ιεριχῷ*); — ibidem legitur: *καὶ πάντες οἱ παῖδες αὐτοῦ διεσπάροσαι ἀπ' αὐτοῦ*; hebb. (cf. Reg. v. 5.); *וְכָל-חַילוּ נִפְצַץ מַעַלְיוֹ* (cf. LXX Reg.: *καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ διεσπάρη ἐπάνωθεν αὐτοῦ*; licet autem suspicemur, interpretem eum qui Jer. c. 52. transtulit vocem *לְל* vertisse *οἱ παῖδες*, quod eos qui Hierosolymis expugnatis Zedekiam re-

¹ i. e. „ein Faden von 12 Ellen mochte eine Säule umspannen“ (Hitz.); — ² die 4 Zoll geben nicht den Diameter, sondern die Dicke des Erzes an der Säule an, welche mithin hohl gewesen sein muss.“ (Hitz.). — ³ Hitzigii sententia quamvis acuta, tamen artificiosior est, quam quae probari possit. Concludit enim et ex hoc versionis alex. additamento et ex additamento *τὸ μῆνος* v. 22. obvio atque ex vocibus *שְׁלַשׁ אַבָּה* (Reg. c. 25, 17) in textu principe capituli quod erat in columna non solum altitudinem (cf. v. 22.) sed etiam longitudinem et eam trium cubitorum esse commemoratam. At ego puto ultima verba versus 22. vertenda esse: ejusdem structurae fuit altera columna cum malogranatis (cf. Luth.: „es war eine Säule wie die andere, die Granatäpfel auch.“) — ⁴ cf. Kuep. I. c. pag. 182.

gem secuti sunt exercitum nominare noluerit; nam paullo antea חַלְכָּשִׁידִים transtulit: ἡ δύναμις τῶν Χαλδαίων; — v. 9.: אֶבְלָאֵתָא; hebb. (cf. Reg. v. 6.) רְבָלָתָה (cf. LXX Reg. Περβλαθά); — v. 13.: πάσας τὰς οἰκίας τῆς πόλεως, hebb. (cf. Reg. v. 9.) pro voce πόλεως: יְרוֹשָׁלָם (cf. LXX Reg.: Ιερουσαλήμ); — v. 14.: ἡ δύναμις, hebb. (cf. Reg. v. 10.) כְּלַחְלֵל; — v. 20.: οὐκ ἦν σιαθρὸς τοῦ χελκοῦ αὐτῶν; hebb. in hoc uno inter se differunt, quod pronomen □ in l. Jer. vocabulo לְנַחֲשָׁת suffixum in Reg. v. 16. deest; sed id ipsum ab interprete versum est. Quae autem in utroque textu hebr. deinde leguntur verba „omnium horum vasorum“, quibus pronomen illud suffixum □ i. e. αὐτῶν explicatur, in LXX sunt omissa; — v. 21.: τριακονταπέντε, hebb. (cf. Reg. v. 17.) duodeviginti; — v. 27. omisit interpres verba in textibus hebb. obvia haec: „et interfecit eos, et sic Iuda e terra educta est.“ —

Textus igitur hebr. Jer. c. 52. multis in locis, ubi a textu libri 2 Reg. dissentit, consensu versionis alex., ubi dissentit a vers. alex., consensu lib. Reg. confirmatur esse genuinus. Quae quum ita sint, certe concludi potest, si textus versionis alex. Jer. c. 52. et libri 2 Reg. c. 25. in eo consentiant, quod in tanto locorum numero a Jer. c. 52. hebr. lectionibus genuinis alter hic alter illic dissentiant, ad veritatem proxime accedere, in illis quoque quatuor locis, in quibus a Jer. c. 52. hebr. una dissentiant, lectiones Jer. hebr. esse genuinas. Tamen, quum Moversius his locis versionem alex. et librum Reg. consentientes non casu sed ex certis legibus et iis toto Jer. libro obviis a Jer. c. 52. dissentire contenderit, conclusio illa sola ad refutandum Mov. non sufficit. Quam ob causam nos regulam illam a Moversio praecipue laudatam probabilem non esse antea demonstravimus. Quod a Kuepero et Wichelhausio intermissum quum a nobis factum sit, jam nobis licet id comprobatum dicere, quod illi non satis comprobatum posuerunt. Verum tamen longe abest ut, quas genuinas Jer. c. 52. hebr. lectiones esse diximus, eas a Jeremia scriptas esse contendamus. Non repugnamus enim sententiae Hitzigii aliorumque, qui libri Jer. c. 52. non a Jeremia scriptum esse confirmaverunt. Nam hic est Jer. cap. 51. finis „huc usque verba Jeremiae,“ et quae extremo capite 52. memoriae produntur ea post annum exsilia babylonici tricesimum septimum facta sunt, quo tempore Jeremias vix superstes esse potuit. Quae contra argumenta Wichelhausius Jeremiam contendit ad normam atque consuetudinem prophetarum suae memoriae res breviter scripsisse: ex quo commentario non solum caput hoc de quo agitur a Barucho vel alio quo vaticiniis Jer. esse annexum, idque accurate transcriptum appositis fortasse versibus ultimis, sed etiam caput 25. libri 2 Reg. esse desumptum, sed ita desumptum ut horum capitum discrepantiae a libb. Reg. auctore repetendae sint. Quae quum non sint confirmata argumentis sed posita tantum, non ita probaverim, ut Jer. caput 52. a Jeremia scriptum esse concedam. Itaque quas capit 52. lectiones genuinas esse contendimus, eas ipsi hujus capituli auctori, quisquis is fuit, tribuimus. Nihil autem toto capite reperitur, quod non possit ab eodem auctore scriptum esse. Nam ne versus 28—30 quidem, quos multi cum Moversio spurious habent difficultibus quibusdam commoti quae in iis occurrint, ob ipsas has difficultates commentarios esse censuerim. Nam si quis posteriore tempore eos capituli 52. inseruisse, eum, ut interpolationem dissimularet, ita scripturum fuisse verisimile est, ut nulla occurreret difficultas. Ceterum ad expendiendas difficultates Wichelhausius plura non inepte dixit (pag. 59.), quae commemorare neque licet per fines libello nostro positos, neque hoc loco opus est. Utut enim de ea re judicandum est, antiquissimis jam temporibus in textu capituli 52. hebr. versus 28—30 fuerunt, iique in LXX desunt, non quod interpres alex. vel qui codicem ejus hebr. transscriperat, eos non legerit, sed quod omisit difficultate aliqua offensus, id quod ex forma antiquiore נָבוּכְדְּרָאֵצָר satis appareret.¹

Ad sententiam autem de integritate Jer. c. 52. hebr. confirmandam haud exigui momenti est, quod probari potest, eum qui c. 52. scripserit non solum non eundem 2 Reg. c. 25. scripsisse sed ne Jer. c. 52. ex 2 Reg.

¹ Cf. Hitz. comment. p. 424.

c. 25. sumpsisse quidem, id quod bene Hitz. multis locis demonstravit, quorum praecipui sunt versus 18. et 19. (cf. Reg. vv. 14. et 15.). Quo loco difficultas ea, quae in textu hebr. efficitur, quod vocabula **הכפָה** הַמְרֻקָת הַמְרוּקָת et in versu 18. et in versu 19. leguntur, in lib. Reg. eo expedita est, quod haec vocabula semel tantum scripta sunt; quam difficultatem item interpres alex. expedivit, vocem **הכֹּרֶקְתָה** ex utroque versu omittens, vocem vertens v. 18: **την στεφάνην**, v. 19.: **τοὺς ὑποχυτῆρας**, vocem **הכֹּפָה** vertens v. 18.: **τὰς κρείγρας**, v. 19.: **τὰς θυσίας**. Quae quum ita sint, auctorem libb. Reg. apparent c. 25. aut e Jer. c. 52. sumpsisse, aut e libro nescio quo, ex quo et ipsum Jer. c. 52. sit desumptum. Quorum quidquid probabilius videtur, ex locis iis quibus 2 Reg. c. 25. a Jer. capit. 52. textibus hebr. et gr. consentientibus discrepat, colligitur, aut auctorem libb. Reg. textum eum ex quo c. 25. desumpserit contraxisse, aut auctorem capit. Jer. 52. textum eum quem transscriperit amplificasse. Tamen librorum Reg. auctorem contraxisse ob eam causam probabilius est, quoniam ad suum dicendi et scribendi genus omnia adstrinxit, quod multis e locis apparent.

Ex iis autem locis quibus versio alex. a textibus Jer. c. 52. consentientibus discrepat, colligitur, interpretem non ubique accurate et totidem fere verbis interpretando studuisse, sed plura rescidisse et amputasse, rarius, quod locus esset difficilior, saepissime, quod ei non omnia digna viderentur quae verterentur. Itaque indolem versionis alex. in hoc quidem capite non eam esse intelligitur, qua commoveri possimus, ut rationibus ex indole locorum petitis minime cogentibus versionis textum textui hebraico praeferamus. Quum porro item auctorem libb. Reg. textum principem nonnunquam contraxisse appareat, colligitur fieri potuisse ut et interpres alex. et auctor libb. Reg. interdum iisdem locis textum principem contraherent.

Quae quum ita sint, fieri non potest, quin in lib. 2 Reg. c. 25. reliquias gravissimas textus antiquioris a LXX exhibiti deprehendi funditus negemus.

Quid autem de locis a Moversio ex Baruch. c. 1, 19; 2, 23; Joseph. antiquitt. l. 10. c. 7. citatis statuendum sit, et quomodo de ceteris ejus argumentis quibus duplēcēm recensionem confirmat dijudicandum sit, si hac in commentationis particula prima explicare susciperemus, fines talibus opusculis concessos longius excederemus. Itaque veniam nobis speramus datum iri, si institutam materiam alio tempore porro tractaturi et absoluturi hunc disputandi finem facimus. —

Scribemam Treptoviae ad Regam, Kal. Mart. MDCCCLXI.

Dr. C. Schulz, Gubensis.

Cand. min.

Corrigenda.

Pag. 1. lin. 19. lege „eset“ et „intelligeretur.“

pag. 7. lin. 6. post „oracula“ adde „contra.“

pag. 10. lin. antepen. post „semper“ adde „fere.“

pag. 21. lin. 35. lege „videretur“ pro eo quod in nonnullis exemplaribus expressum est „videtur.“

pag. 22. lin. 35. lege **מִצְנָא** et **נְדִירָה**.

pag. 25. lin. 10. et 11. lege „Zadok.“

